


Dissertatio Inavgvralis Qva Sistit Introdvctionem In Novvm Testamentvm Generalem

lenae: Ex Officina Ritteriana, [1733?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862181380>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. 6. 11.

63.

Fa - 1092 (63.)

1. Knapp de raptu et cruce Pauli
difest. prior
2. Knapp difest. posterior
3. Rambach de maiestate Chris.
diuina
4. Callenbergii historia ecclesiae
orientalis recentior I.
5. Callenbergii histos. eccles. orient II.
6. Michaelis de sapientia Chris.
7. Baumgarten de statu anima-
rum separatarum.
8. Baumgarten de fuga christi-
anorum.
9. Fecht de forma cateche-
seos paulinae.
10. Walch's Sprachkunnst der
in Palz bürgischen Sprachraute.
11. Reinbeck's Gesinnung des
Gebührl. Christi.
12. Baumgarten de omniprae-
sentiae vera notione.
13. Eleydos spiritus sancti.
14. Carpzov de Logy Philo-
nis
15. Rufius de veris sinceri
sectatoris Christi requisitis.
16. Watchius de Lollaris
saec. XIII. testibus veritatis.
17. Resurrectionis Christi scopg.
18. Carrouii program. pentecostale.
19. Buddius de vnctione
sacra N. Test.
20. Wernsdorffius de mystica
Theologia.
21. Freylinghausen encyclicalis
exegetic-philolo. ad psalmum
XVI.
22. Pastores bethlehemitici
23. Boehmer program. sacrum
25. Michaelis demonstrat
quod substitutio victoria
in opere redemptionis non
adversetur perfectionibus dei.
26. De falsis fictisque
religionibus.
27. Rus de introductione
in n. Test. generali.
28. Ihle de nominibus quibusdam
vet. et nou. Test.
41. Georgius de b. Lutheri
versione bibliorum
42. *Verordnung, in wie weit
die Familien der Offiziere
die Familien der Offiziere
die Familien der Offiziere*
29. Freylinghausen. de cautionibus
quibusdam, quas probationes
dogmatum theologorum etc.
30. Baumgarten de immortalitate
Christi et christianorum
31. Baumgarten de iconolatria
christianorum idololatria.
32. Michaelis de liminibus
syriacis.
33. Stiberitz de arca
foederis ordinaria columnae
nabis et ignis sede.
34. Michaelis ferias pascha-
les religiose custodendas.
de statu animae Christi etc.

35. Gasferius ultima
fata noachi est.
36. Jampert. Foedum
effectu respirationis
non carere demonstrat.
37. Juncker. de vera morbo-
rum diagnosi etc.
38. Büchnerus de analysi
phosphori urinae.
39. Juncker. de Chymi-
ficatione.
40. Struensee de in-
congrui corporis
motus infalubritate.

DISSERTATIO INAUGVRALIS
QVA SISTIT
INTRODVCTIONEM
IN NOVVM TESTAMENTVM
GENERALEM

EAMQVE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE WESTPHALIAE ET RELIQA
EX CONSENSV VENERANDI THEOLOGORVM ORDINIS
SVB PRAESIDIO

IES. FRIDERICI WEISSENBORNII

SS. THEOL. D. ET P. P. ORD. EIVSDEMQUE PRIMARII SERENISSIMI DVCS
SAXO-ISAACENSIS A CONSILIIIS SACRIS ET ANTISTITIS IENENSIS
ORDINIS THEOL. SENIORIS ET H. T. DECANI

PRO SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS
OBTINENDIS

ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT

D. XXIX. IVLII M DCC XXXIII.

IOH. REINHARDVS RVS

ANTEA LINGVARVM SACR. ET ORIENTAL. RELIQV. IN HAC ALMA SALANA
NVNC THEOLOGIAE PROF. PVBL. ORD.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA.

DISSERTATIO IN AVGVSTIS
IN TRODVCTIONEM
IN NOVVM TESTAMENTVM
GENERALI


RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
D O M I N O
G V L L I E L M O H E N R I C O

EX CONSENSV VENERABILI THEOLOGICI ORDINIS
H E S T R I C I W E I S S E N B O R N I I

PRO SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS
OBTINENDIS

FRVDITVRVM EXAMINI SVBMITTIT
D. XIX. JULII MDCCLXXXIX.
I O H A N N E S H A R D V S R V S

LENAE EX OFFICINA A. T. R. M. A. N. I.



PRAEFATIO.

B. L. S.



VAM pridem promisi in harmoniam
quatuor Euangelistarum introductionem,
eam TIBI L. B. & opinione serius,
& citius exhibeo nunc. Serius qui-
dem, quoniam eadem impedimen-
ta, quæ prohibuerunt, quo minus,
vt par erat, præmitterem operi
harmonico introductionem, & hic
effecerunt, vt non maturius fidem
datam liberarem. Est enim vnum ex altero, per annos
fere tres, ex quo lucem aspexit *tertia harmonia euangelica*
pars, enatum obstaculum, mihi insuperabile, quod iussit
consilium semel coeptum, si non abiicere penitus, saltem
differre in hoc vsque tempus. Sed valiturum credo & hic
tritum illud; *sat cito, si sat bene.* Opinione tamen mea etiam
celerius conspectum TVVM L. B. subit eadem. Quum enim
prætolandum mihi censuerim, num forte displiceret opella
harmonica, aut quid in ea desideretur admodum, præfer-
tim an forte in dogmate aliquo fidei a recto veritatis tra-
mite deflexerim inscius, vt hinc constituerem, vel pre-
mere protinus, quod promississe pœniteret, vel simul in
spongiam incumbere iuberem, quod perperam dictum
scriptumue cum ratione edocerer; ecce, significanda mihi
venit

A 2

28

29

30

31

33

34

35

36

37

38

41

venit Serenissimorum academiæ nostræ conseruatorum clementissima voluntas, quam humilime veneror. Voluerunt nimirum ILLI me, prorsus non cogitantem, nuperime capessere locum inter theologiæ professores ordinarium, quem ego, si per me stetisset, multum digniorescesissem libentissime. Enim vero, imbecillitatis meæ quantumuis probe memor, recordabar, quam minus ex voto cesserit Mosis, Ieremiæ ac Ionæ renitentia sua, qua subterfugere volebant demandandam sibi legationem diuinam. Ne igitur & ego in me prouocarem supremi in coelis nostrarum rerum omnium diribitoris & Numinum terrestrium, vices istius sustinentium inter homines, iram iustamue indignationem, parendum vtique mihi fuit, & eo vadendum, quo me mitterent HI, quorum mihi nutus esse debebat pro imperio. Veneror mecum exuberantem gratiam diuinam deuote, & vt vires sufficiat diuinum Numen ad officium rite subeundum qua animam, qua corpus necessarias, deuotis precibus contendo, nec minus demisse celebros Serenissimorum clementissimam in me voluntatem, eaque, certissima spe fretus, opem diuinam auxiliiumue ex superis mihi perquam infirmo haud defuturum, alacer aggrediar labores mihi demandatos, hoc ipso introductionis in euang. harm. schediasmate; quo satisfiat mori inolito & consuetudini haud illaudabili, qua & mihi imponitur necessitas arripiendi calamum, & quo omnia ordine fiant & decenter in ecclesia, ambire iubeor supremos in theologia honores a summo venerabili huius acad. theologorum ordine, cui proin decreui hoc specimen ex deuoto erga Serenissimos obsequio offerre.

Et ad hoc nunc me accingo vel ideo, quod nihil per ceperim omni illo tempore mihi obiectum, in quo per rationes idoneas inductus mutem sententiam. Sunt tamen quæpiam a nonnullis aliter accepta atque putaram ego, quæ idcirco hic paucis diluenda puto, vt rectius per spiciatur mens mea. Eiusmodi sunt ea, quæ nunc referam paucis,

paucis, quod videlicet *primo* nonnemo solœcismum dicit theologicum, quando *tom. I. pag. 580.* asserui Paullum fuisse vxoratum, illud vero facit sine ratione allata, & me obtorto collo ac sine data occasione huc rapit, quum nihil omnino hoc iuuet causam ipsius, quam contra auctores *der Sammlung des alten und neuen* perorat, ipsis quippe meam sententiam, nec improbantibus, nec approbantibus. Quod enim prouocat ad 1 Cor. VII, 7. quasi ibi satis clare Paullus dicat, se non fuisse vxoratum, præterquam quod temere supponit, non facile ibi reperiendum, nisi ineptum, quin & impium tandem votum Paulo *ἑοικένευσω* affingat, non apparet, quo demum iure vocetur solœcismus theologicus, quando materia de coniugio prorsus integra retinetur, & de hoc aut illo tantum exemplo apostoli vxorati, an cœlibis disputatur. Quare etiam auctores *der Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen*, 1727. p. 967. talismodi solœcismum theologicum in his non deprehenderunt, sed ad complendam controuersiam *de coniugio Pauli* historiam tantum addunt: M. WOLFG. HELVICVM, Superint. Osnabrugens. iam in Apologia contra Romanum Altglaub, idem mecum propugnasse, eundemque & me sine censura dimittunt. Et vtinam sibi cauisset ille censor præposterus, qui crinibus me huc pertraxit, a solœcismis theologis, quos admisit, in consortium suorum regenitorum cooptans Casp. Schwenckfeldium atque Christianum Hoburgium, quorum postremus maxime omne virus euomuit in A. C. eiusque doctrinam puro Dei verbo innixam, atque neuter se tandem resipuisse, & blasphemias suas in veritatem cœlestem eructatas retractasse, testatus est, nec illud in animum induxisse, docere valuit is, qui eos regenitis adscripsit, vapulans propterea auctoribus *der Sammlung von alten und neuen*, modo laudatis. Sed hæc charitas illius viri est ei, quam Christus in pharisæis taxat Matth. V, 46. 47. haud absimilis, quare obtorto plane collo, & præter omnem datam occasionem huc pertrahendus erat solœcismus, quem fingit, theologicus.

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

41

gicus. Ego nec sine scriptura, ut opinor, nec sine theologorum inculpatorum consensu Paullum vxoratum fuisse asserui, & citra vllum, in doctrinam de coniugio sanam, so- lœcismum theologicum etiamnum credo.

Equidem *secundo in biblioth. theolog. selecta part. 57. n. 4. p. 777.* stylo longe alio uti visum est clarissimo illius auctori, quam quo duas priores illius opellæ partes recensuerat; nimirum ita enarrare totum harmoniæ tertium ipsi placuit, ut, quæ innocenti prorsus animo ego apud nonnullos viros celeberrimos notaueram vitia typographica, & apparentes, in quas incideram, contradictiones, quæ lectorem forsanturbare possent, ea fini, ne & aliis essent offensus illa, ad inuidiam conflandam exagitentur ac sigillatim, quanquam hæc talia ipsimet auctori istius bibliothecæ cel. paslim notare frequens fere sit ac sollemne, a quo me illum morem post alios didicisse, tanto vitio verti non poterat. Non recordor me promeritum esse, ut tam mordaci dentatouæ stylo in me nunc uti placuerit auctori potius, quam per rationes rectiora docere, sicubi errantem deprehendere visus esset sibi fratrem, quemadmodum circa duos priores tomos instituerat facere, quod grata etiam ego mente agnoui publice: homo enim sum, & humani quid a me non prorsus alienum puto. Quæ de loco & impressione mearum seorsim editarum thesium, quæ citra meam voluntatem & me prorsus inscio Rostochii, ut tit. præfert, sunt impressæ vitiosissime, retuli, ex ore eius, qui sumtus me inscio fecit, accepi, confirmavitque ipse quæsitus per alios amicos typographus, cuius typis prodierunt, quibuscum quomodo conueniant, quæ prætexuntur, viderint ipsi, quorum interest.

Non memini me vsquam scripsisse, quod ibi pag. 780. mihi tribuitur. Er rechnet nur den Tag selbst, dessen Dauer, und Schärffe der Beobachtung desselben, zu den moralischen Stücken des dritten Gebots, ceremonialia forte scribere voluit censor, ita enim scripsi tam in thesi 4. quam in præf. ad tom. III. p. 51. fin.

Dum

Dum p. 785. tacite reprehendit meum a cel. D. ZELTNERO dissentum, de premio Iebusæorum castrî expugnati, reticet ipse, quod, priuatim ab ipsomet biblioth. auctore rogatus anno 1729. d. 11. Maii, sententiam quidem dixerim, quam ipse, me in seio iam antea in part. 42. p. 569. ff. anno 1729. publici iuris, recto licet nomine meo, fecerit. Ad quid vero hæc quæso, nisi ad odia constanda in nassam velut pertracto? Ceterum vehementer mihi gratulor de consensu cel. istius ephemeridis auctoris, quem p. 786. his testatur: welche Meynung uns selbst assemahl am besten gefal-
 sen. Sed mitto reliqua animi, a me citra culpam abalienati, vestigia & indicia ibidem occurrentia quam plurima, quæ quare nec citius, nec ferius, quam cum opportunum iudicaret litteratissimus auctor, proderet, ipsi quam rectissime constabit, & aliis, ad seriem temporum haud leuiter attendentibus, non difficile erit diuinare. Inprimis ipse iudicabit, num dignum sit personæ ea, quam sustinet, iniustam Davidis in innocentissimum & non auditum Mephiboschethum sententiam, qua inique ei abstulit bonorum partem dimidiam, eandemque mendaci Zibæ adiudicauit, quasi iustissima illa esset pag. 705. 706. in me pariter infon-
 tem detorquere, præsertim si contulerit ipse ea, quæ p. 778. & 798. habet ibidem, & addiderit adducto a se loco ex 2 Sam. XIX, 29. eiusdem libri cap. XVI, 1-5. excl.

Idem hic celeb. vir parti 62. anno 1732. inseruit n. 5. p. 152-175. med. G. L. OEDERI Gedanken vom letzten Oester. Feste Christi, in quibus hic auctor ob adhibitam a me *monaturientis* vocem, quum eius peculiarem memorarem de milicibus Christum inuadentibus sententiam, totus in iram exarsit, & nescio quam sibi a me iniuriam factam conqueritur. Ego autem hoc ipsi affirmo sanctissime, omnem iniuriandi animum a me, dum ea scriberem, abfuisse longissime; & prouti noua nec omnia bona, nec omnia mala puto, ita & *monaturientis* vocabulum in se nullam inferre maculam censi; addidi propterea etiam *ingenium secundum*, voces, nisi fallor,

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

41

fallor, omnem fugillandi animum excludentes. Argumentum ipsum, quod latius aduersus me disputat, excutere huius loci non est, quædam tamen, quæ animum in me testantur, vel tribus nunc verbis notare suffecerit, de cetero lector iudicabit, vter nostrum propius ad veritatem accedat. Ego certe fateor, mihi per omnia nondum satisfactum videri, nec iis cel. auctorem rationibus instructum suam egisse causam, vt lectorum obtineat assensum, diem edoctorum credo.

Tria vero sunt præcipue, in quibus auctorem veritati parum litasse reperi, *primo* videlicet dum p. 155, *biblioth. sel. theolog.* scribit: da ich nun leicht schliessen können, daß der Prof. Kus von jenem (dem Herrn Past. Wolffen) nicht werde abgegangen seyn, so habe ich es denn bey der Durchblätterung auch nicht anders befunden. In quibus duo mihi exsurgunt dubia, *vnum* nempe, quod nesciam, quare collectione Oederiana hic opus fuerit, & qua ista demum ratione nitatur; *alterum* vero, quod sese reuera rem ita inter euoluendum deprehendisse ait. Vtrumque enim est contra expressam harm. meæ tom. III. p. 497. litteram, qua significauit aperte, me iam anno 1721. mense Iunio, in sollemni promotionis magisterialis panegyri, hoc argumentum hunc in sensum discussisse, cum, cel. WOLFFIUM curas philolog. & criticas in IV. euangg. & acta apostolica demum 1725. euulgasse, titulus earum præferat. Qui ergo in hoc a cel. WOLFFIO, cuius tunc meditationes nondum prostabant, me non discensisse coniecere potuit, aut qua demum ratione collegerit, quin & ipso facto rem ita, vt coniecerat, deprehendisse sese dicere queat, cl. censor, ego quidem non satis assequor. Ego, si argg. auctoris, vti iactitat in *bibliotheca selecta* pag. 156. sunt prorsus inuida, quæ de militibus Christum capturis adduxisse sibi visus est, non inuideo illa; me autem robur illorum nondum peruidisse fateor, æque ac ea, quæ circa τὸ ἐσως in Matth. XXIV, 15. quondam venditata fuerunt decretoria, nondum cernere datum est. Sed sit fides penes lectorem.

Alterum

Alterum in quo fidem desidero cl. viri, his conceptum *biblioth. select.* loc. cit. legitur verbis: Eins aber hat mir wunderlich geschienen, daß der Verfasser gerühmter Harmonie gar nichts von dieser Meynung, die ich, wie ieho gemeldet, allen vorziehe, daß Christus das letzte Osterlamm nicht gegessen, erwehnet. Hæc legens vix fidem habebam oculis meis, & mirabar auctorem præ calore, quo in me exarserat, non vidisse, quæ harm. tom. III. p. 696. habentur, vbi H. GROTHII & HAMMONDI sententia recensetur, ac disertis verbis cel. D. DETLINGII *obseru. sacr.* part. I. obs. 32. tot. edit. 2. *de die Iesu Christi mortuali* memoratur, in qua illa ipsa opinio propugnatur, quæ etiam prostat *miscell. Lips.* tom. II. p. 738. sqq. ad quam me amandat loco iam dicto OEDERVS. Miror itaque haud immerito, quare ita mecum agat. Quod si vero omissem etiam tangere hanc sententiam, quod tamen secus se habere *αυτοψία* quemuis docere potest, quare hoc adeo sit mirandum non apparet, cum meæ etiam mihi rationes suppetere potuissent, cur omitteretur aliqua opinio, quum omnes percensere non opus erat; & hæc mihi præsertim videretur omnium a textu sacro remotissima: quanquam animum nunquam induxerim cum HARDVINO eam dicere furorem, intolerabilemque audaciam, vti pro ostentando fœcundo ingenio iterum colligit auctor ille, OEDERVS in *biblioth. select.* p. 157. suæ in me caritati & legibus concludendi indulgens, particula *vielleicht*, quæ per meum *fortasse* non facile refellitur.

Denique non intelligo, quare in hoc, de vltimo Christi agno paschali, me inter aduersarios referat cl. OEDERVS verbis *biblioth. select.* p. 169. Es ist noch übrig zu zeigen, daß unsere vornehme Gegner &c. qui tamen paullo ante est miratus pag. 156. me ne sententiæ quidem huius mentionem iniecisse, quam exposuerit in *synagm. obseru. sacr.* p. 751. Qui ergo sibi me aduersarium nunc fingit? Sed non est hæc in præsentis disceptandi locus, potius ad institutum nostrum conuertimur, & quod polliciti sumus iam exsoluere incipimus.

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

Faxit benignissimum Numen, vt tenuis opella non sit sine omni fructu, sed facem modo qualemcunque præferat lectori, ad rectius intelligendos recludendosue sapientiæ cœlestis thesauros, quos pandunt nobis historiæ euangelicæ vitæque Christi conditores *ἐν θεοις*, quo etiam spectant, quæ in ipsam Christi vitam meditatus sum paucis abhinc annis. Faxit inquam hoc per & propter Iesum Christum sospitorem nostrum Amen!

INTRODVCT. IN HARM. EVANG.
DE OECONOMIA N. T. IN GENERE.

POSTQVAM triennio ferme abhinc, anno videlicet 1730. Lipsiæ b. IVSTVS WESSELVS RVMPAEVS, theol. Doctor & Gymnasii Susatensium in Westphalis Director, amicus desideratissimus, euulgauit *commentationem criticam in libros N. T. in genere*, in qua operosissime cuncta & laboriosissime congesit, quæ huc facere putauit, superuacaneus censeri forsan posset hic labor meus. Patebit tamen, spero, in progressu, me non tantum in breuiorem summam ea hic contraxisse, quæ latissime persecutus est b. RVM-PAEVS, sed alia quoque nonnulla spicilegii in modum adieciisse, variaque, quæ in opus illud irrepsere vitia, de quibus in ep. 1730. d. i. Iunii ad me, Susato-Guestphal. scripta, ipse conquestus est b. a. sustulisse. Facit ergo labor b. viri vtilissimus, vt breuiores ego lineas ducere queam, eas tamen ita instruere conabor, ne Iliada post Homerum scripsisse iure putari queam. Constabit hæc mea tractatio nonnisi his momentis, quibus complecti annitar potiora meo scopo inseritura. 1) de titulo N. T. dicam. 2) de argumento. 3) de auctoritate. 4) de varia N. T. diuisione siue distinctione, eiusue 5) integritate adhuc facta tectæ ac incorruptibilitate. 6) de commentariis in istud quibusdam, potioribus saltem.

§. I. IN-

§. I.

INSCRIBITVR illud scripturæ sacre volumen, quod comprehendit scripta, a diuino spiritu immediate apostolis suggesta & amanuensibus inspirata, ἡ καινὴ διαθήκη siue τὰ τῆς καινῆς διαθήκης ἅπαντα, ad quæ verba quatuor nobis iam veniunt expendenda, primo, quem hic tit. habeat venererurque auctorem. Deinde quid sibi velit το διαθήκη, & quomodo sit omnium commodissime reddendum; Porro quare vocetur ἡ καινὴ διαθήκη; Denique quænam sint illa τῆς καινῆς διαθήκης ἅπαντα.

§. II.

De auctore tituli res oppido incerta est, cuiam is veniat tribuendus, nec multum refert hoc nosse distinctius, quum hæc inscriptio non sit pars textus sacri ipsius, sed extra illum superaddita. Equidem b. IO. GERHARDVM verisimile putasse, a S. Ioanne apostolo & euangelista originem habere, qui sacros libros canonicos, post Christi saluatoris ascensionem in cælos, ab euangelistis & apostolis diuina inspiratione scriptos collegerit, & in ordinem redegerit, hac ἐπιγραφή præmissa: τὰ τῆς καινῆς διαθήκης, b. ABR. CALOVIUS prolegg. in N. T. bibl. illustr. tom. III. f. 2. (a) refert, sed sine addita ἐπιπίσει. Verum quia hic vniuersi N. T. titulus variat, & in quibusdam codicibus his tantum verbis: ἡ καινὴ διαθήκη, in aliis vero his: τὰ τῆς καινῆς διαθήκης absoluitur, in aliis vero ἅπαντα adiectum legitur, non videtur esse vnus idemque istius auctor, sed diuersi plane, vt contingit in singulorum librorum inscriptionibus, extra sacre orationis contextum positis. v. gr. in apocalypsi Ioannea, qua de præter b. IO. GERHARDI Exegef. loc. I. de script. sac. cap. 9. §. 294. videndus b. ELSWICHVS pec. disp. de inscriptione apocalypseos. Semetipsum enim Ioannem euangelistam sanctum appellasse, prorsus abludit ab ipsius humilitate &

28

29

30

31

33

34

35

36

37

38

44

effatis clarissimis i. ep. I, 8. 9. estque alienum a moribus aliorum omnium scriptorum diuinorum. Ita vero habet opus Complutense, qua N. T. textum græcum & versionem latinam non quidem interlinearem, sed ad latus positam, typis exscriptum absolutumque in præclarissima Complutensi vniuersitate 1514. m. Iun. d. 10. *Αποκάλυψις / τῆς ἀγίας ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστῆς Ἰωάννου / τῆς Θεολογίας*; quibus in margine respondent hæcce latina: Incipit liber apocalypsis beati Ioannis apostoli. Ad viuum expressimus rubrum illud, vt constare hinc queat lectori, quid tribuendum sit effato cel. D. IO. ALBERTI FABRICII *bibl. græc. lib. IV. cap. V. p. 185. n. 17. editiones præcipue N. T. Prima Complutensis græcum textum sine accentibus expressum habens, addita, præter veterem vulgatam, versione noua latina interlineari.* Titulus videlicet istius editionis reclamatione aperte, ita habens: *post hæc* (nempe Eusebii Pamphili ad Carpianum, de concordia quatuor euangeliorum, & prologum Hieronymi ad Damasum Pappam, & alios eiusdem doctoris prologos) *succedunt quattuor euangelia græco sermone cum latina beati Hieronymi translatione ex opposito* - - *Post hæc sequuntur epistolæ ipsæ beati Pauli: cum reliquis noui testamenti operibus: omnia cum interpretatione latina eiusdem beati Hieronymi e regione.* Illustris auctor prolegg. græci N. T. apud WETTSTENIVM an. 1711. in 8vo nitide impressi, qui latitare voluit sub siglis G. D. T. M. D. estque GERHARDVS de Traiecto Mosæ, Doctor, Bremensis Reipublicæ Syndicus n. 49. commemorans ista FABRICII verba ex parte, subiicit: *Mea anni 1514. memorata habet accentus, non spiritus, nisi quod asper lineola notetur. Non est interlinearis, sed græco cuius vocabulo est adiecta littera, quæ & in latino textu cuique vocabulo consono est præmissa, indeque profluxisse interlinearias Aria Montani nullus dubito, translata e textu latino voce super eandem vocem græci textus.* His vero rectius intelligendis inseruiunt ea, quæ opere Complutensi ipsomet fol. post titulum secundo in præfatiuncula græca, in latinum versa, ad lectorem sonant hunc in modum:

„Ne

„Ne mireris aut vitio vertas, o studiosè lector, quod
 „in hac noui testamenti greca editione aliter quam in
 „veteri nude tantum littere sine vllis aut spirituum aut
 „tonorum notis impressè publicentur: opere precium
 „visum est huius tibi rei rationem assignare. Ea enim
 „huiusmodi est. Antiquissimos grecos absque hisce fa-
 „stigiis litterarum scriptitasè notius est: quam vt sit
 „multis argumentis comprobandum. Docent enim id
 „aperte antiqua non pauca exemplaria vt Callimachi
 „poëmata: nec non & Sibyllina carmina: ac praterea
 „etiam marmorea monumenta vetustissima que rome
 „adhuc visuntur nudis solum characteribus incisa. Vt
 „liquido constet huiusmodi virgularum apicumque su-
 „praescriptiones non in illa primeva grece lingve origine
 „fuisse excogitatas: nec ad eius integritatem vsquequaque
 „pertinuisse. Cum igitur vniuersum novum testamentum
 „preter Evangelium Matthei et epistolam ad Hebreos
 „grece primum sicut a spiritu sancto dictatum est: scri-
 „ptum esse constet: visum est priscam in eo lingve illius
 „vetustatem maiestatemque intactam retinere: ac opus
 „ipsum pretermisis etiam ipsis quibusvis minimis ap-
 „pendiculis excussum ad imaginem antiquarum scriptu-
 „rarum publicare. Ne rei tam sancte authoritati ac ve-
 „nerande maiestati adiectitiis novitiisque rebus detri-
 „mentum afferri videretur. Accedit quod si verum fa-
 „teri volumus: hic spirituum tonorumque defectus
 „nullum prorsus impedimentum ad rectam intelligen-
 „tiam afferre valet his qui aliquantum in greca erudi-
 „tione promouerunt. Ceterum ne alicui dubium ali-
 „quod possit occurrere in qua videlicet syllaba accen-
 „tum oporteat collocari: simplex tantum apex in poly-
 „syllabis dictionibus adiectus est: et is quidem non tan-
 „quam grecus accentus: sed tanquam notula signum-
 „que quo dirigi possit lector ne in prolatione modula-
 „tione ve dictionum aliquando labatur.

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

Isthac ex afferuato in bibliotheca academ. nostræ publica Complutensis operis exemplo bona fide excerpere visum est, vt eo rectius diuersa hic sentientium relata queant asstimari. Nobis eadem ferme ratio esse videtur huius inscriptionis extra textum positæ generalis, quæ est subscriptionum v. g. epistolis Paulinis additarum, in quibus cum aliquando occurrant a textu ipso dissona quæpiam, non poterunt illæ haberi pro Θεοπνευσίς, quia vnus idemque veritatis spiritus non potest non sibi constare quam rectissime. Et si vel maxime daremus, virum aliquem Θεόπνευστον hæc talia adiecisse, vix tamen probari posset in iisdem addendis etiam versatum fuisse Θεοπνευσίως. Quemadmodum Nathan, vates ceteroquin diuinus, suadebat Dauidi, quærenti, ædificationem ædis diuinæ 2 Sam. VII, 3. sed nocte mox secuta aliter edocebatur a Numine, reuocabatque pridie dicta ibid. v. 4, 5, 6, 13, sqq. Ac ipse Dauid in eminentia gemina constitutus, vnctus Dei Iacobi, & amœnus Psalms Israelis i. e. rex & propheta 2 Sam. XXIII, 1. perscripsit litteras Vriæ internecinas, non sane ex Θεοπνευσία impulsuque diuini spiritus, de quibus vid. 2 Sam. XI, 14, sqq. Luculentum perquam exemplum, quomodo interdum subscriptiones non satis respondeant epistolarum textui, est, dum ad calcem 1 Cor. legimus: *προς Κορινθίους πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων διὰ Στεφανά, καὶ Φαρτινάτου, καὶ Ἀχαιῶν καὶ Τιμοθέου.* Pro qua epilogi in editione Bæcleriana Argentor. ex officina Io. Philippi Mülpii anno 1645. lectione, opus Complutense non nisi hæc habet, *τέλος τῆς πρὸς Κορινθίους πρώτης ἐπιστολῆς.* Duo autem sunt, quæ in vulgari hæc subscriptione non sine caussa desiderant multi. *Vnum*, quod per Timotheum dicitur perscripta, quem tamen per cap. XVI, 10. huius ipsius epistolæ, Paullus antea iam ad Corinthios ablegasse censerit potest, præsertim si contuleris cap. IV, 17. *Alterum* attinet ad locum ex quo fuerit exarata & missa a Paulo hæc epistola, qui in subscriptione dicitur fuisse Philippi, quum potius debuisset poni in eiusdem locum Ephesus per v. 8. & 19. vbi

vbi Apostolus se Ephesi mansurum ait ad pentecosten vsque, ac salutatur Corinthios, ab Ecclesiis Asiaticis ac Epheso & discessurus, per Macedoniam ad Corinthios se peruenturum promittit ibid. v. 5. cuius Macedoniae metropolis Philippensum ciuitas erat, cum Asiae vrbs esset Ephesus. Taceo alia, quae assignato Philippensum nomini obstant, ex ipsius epistolae visceribus petita, quae sedulo notarunt b. ER. SCHMID ad I Cor. XVI. clausulam. HEIDEGGERVS in *enchoridion biblico* lib. 3. cap. 9. §. 3. p. m. 547. b. SCHOMERVS in *paraphrasi ad epistolas Paulinas*. b. C. H. SANDHAGEN in *Der Einleitung* p. m. 135. not. b. & p. 52. not. c. it. in *dec. 2. opp. theol.* p. m. 47. sqq.

§. III.

Quamuis autem probatum non satis putemus, hanc inscriptionem & titulum a viris Θεοπνεύστοις praefixum esse, antiquissimi tamen aevi cum sit dubio procul, operae omnino pretium existimamus, illius sensum accuratius paullo contemplari, euolutis, quibus constat, vocibus singulis. Prima earum est διαθήκη, originem suam referens ad verbum graecor. compositum διατίθημι, *dispono*, ex cuius aor. διαθήκη, more apud Graecos haud infrequenti descendit, ablato augmento, adeoque repetita praepositionis δια ultima vocali, quae ob superueniens augmentum fuerat ablata, & terminatione verbali α in nominalem η mutata. Significationem vocis omnium clarissime suppeditat Luc. XXII, 29. obuivum bis verbum διατίθεσθαι. Evidentissime enim arguit iste locus *dispositionem* in genere. Conferri tamen huc meretur etiam Hebr. IX, 15. 16. 17. ex quo apparet speciatim quoque notare dispositionem testamentariam, morte confirmatam, quod suo etiam modo, quanquam non adeo perspicue ac producta, enunciant Hebr. VII, 22. cap. VIII, 6. 10. cap. X, 16. Gal. III, 15. An rectius per *sedus*, an vero potius per *testamentum* vertatur, multis disputare non volumus, utramque & *federis* & *testamenti* notionem huc

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

41

huc quadrare rati. Deus enim circa salutem nostram, cum per modum federis, tum per modum testamenti disposuit. ELACIVS profecto cum in *clauē script. sacræ aurea* part. 1. ad vocem *fœdus*, *pactio* ac *testamentum*, tum in *præf. ad glossam N. T.* decem federis, & duodecim testamenti proprietates euoluit & huc applicat, concluditque diuinam *διαθήκη* recte testamenti-fœdus appellari. Atque b. DORSCHAEVS *super ep. ad Hebr.* censet nec fœdus, nec testamentum simpliciter, sed *testamento-fœdus* appellandum esse; suavis enim in hoc negotio, quod *διαθήκη* vocabulo nobis insinuatur, mixtura federis & testamenti deprehenditur. Quare etiam non HIERONIMVS tantum atque AVGVSTINVS, sed his quoque antiquior LACTANTIUS lib. 4. *diuinar. institution.* qui est *de vera sapientia* cap. 20. & TERTVLLIANVS lib. 4. *aduersus Marcionem* cap. 1. 6. 9. vocem græcam *διαθήκη* testamenti, instrumenti ac dispositionis notione reddunt, iudice H. GROTIIO in *præloq. de tit. N. T.* apud CALOV. f. 3. a. non tamen propterea non tam iuris fori-que vsu secuti, quam naturam originemque vocis, quæ apta est omne id complecti, quo quis voluntatem suam testatam fecit: *præsertim vero eam, qua bonorum quedam vniuersitas alicui confertur, quo sensu & vox hæredis citra mortis indicationem sumi solet, ut cum hæres Dei dicimur censendi, quum palam utique sit, aliqua etiam tam federi, quam testamento propria competere institutioni & dispositioni huic diuinæ, ex quibus potiora sunt hæcce: Testamenti quidem, quod morte testatoris, & qui bona inibi nobis destinata parauit, confirmatur; deinde quod in hoc federe nos Deo non tantum offerimus, aut, quod pondus aliquod habeat, pollicemur, sed pæne tantum accipimus. quemadmodum in testamentis non tam testatoris, quam hæredum commodum spectatur. Res omnis hic agitur inter patrem ac liberos, quibus ampla hæreditas donatur, eorumque commodum præcipue promouetur. Fœdus initur inter partes diuersas, antea inimicas, aut quibus saltem non adeo bene conuenit inter se, agnoscitque mediatorem, qui partes disidentes conciliet, &*

inter

inter eas fedus fanciat, in quod vtraque pars consentiat, mutuo sese obligent inuicem ad promissiones vtrinque propositas; vnde certa commoda ex vtraque parte, sub certis ceremoniis ac pœnis statutis in eam partem, quæ temere resilierit a federe, & quæ sunt alia. Licet verò sint quæpiam in testamentis alioquin obuia, quæ hic æque locum non reperiunt, sunt etiam nonnulla in federibus, huc minus quadrantiâ, quod monstrarunt illi, qui nostra ætate de methodo tractandi theologiam federali disputarunt, & quænam eius sint commoda, quæue incommoda exposuerunt latius, præsertim cum & ex nostris b. IO. WOLFFG. IÆGERVS inciperet multis eam præferre vulgo receptæ methodo scholasticæ, & terminorum, vt conquerebatur, metaphysicorum salebris obsitæ, inque compendio *Kenigiano* conspicuæ. Consuli huc poterunt, quæ b. SAM. PVFENDORFFIVS in *iure sociali diuino* §. 45. & b. IÆGERVS in *iure Dei federali delineato*, per *caput præliminare & quæst. primam* totam differunt hanc in rem.

§. IV.

Quare autem τὸ διαθήκη æque non per legem transferri debeat, vti quidem voluit H. GROTIVS, licet τὸ διατίθεσθαι non minus PLATONI adhibeatur de *legibus*, quam de *sponsione* Aristophani, deque *testamento* Ilocrati aliisque, quod tam HENR. STEPHANI in *thes. lingu. grac.* quam GVIL. BVDAEVVS in *commentariis suis græcæ linguæ* iam obseruarunt, causa præcipua hæc est, quod aduersariorum sanæ doctrinæ multi abusi fuerunt nomine eo, ad incrustandum errorem de Christo legislatore nouo, quem euitare voluerunt hoc modo isti, qui hoc negant, vt monuit b. CALOVIVS ad præmium Grotianum §. 2. fin. & 3. init. Huc etiam pertinent, quæ nuper inter IMMANVEL WEBERVM, ICtum & histor. Giesfenum, in *specimine annott. ad PVFENDORFFII librum de officio hominis & ciuis* diff. I. scriptisque diuersis insecutis ex vna parte, & inter eius collegam b. IO. ERN. GERHARDVM, IOAN-

NIS GERHARDI, ex filio IO. ERN. GERHARDO, Ienenſi theologo, nepotem, REVCHLINVM, theologum *Tubing. & Roſtockienſes* theologos ex altera parte fuere diſceptata.

§. V.

Quoniam vero plurimum *διαθηκῶν* meminit diuus Apoſtolus Paullus Rom. IX, 4. Ephes. II, 12. idcirco alii quatuor, alii tria, alii duo conſtituunt federa aut teſtamenta, qui tamen facile conciliabuntur inter ſe, ſiquidem Adamicum, quod primum conſtituunt cum Moſaico, tertio ab iis factū, facile componitur, habens quippe promiſſiones ſub exactiſſima legis voluntatiſque diuinæ impletione largiſſimas, prouti alterum Abrahamicum cum quarto Meſſiano conuenientiam habet. Hinc duæ a plerisque diſpoſitiones nominantur: Vetus nim. & noua, idque ad imitationem cum Ieremiæ vatis, qui cap. XXXI, 31. 32. pacti cum patribus, ac ineundi cum iis, qui Meſſiam venturum eſſent conſpecturi, meminit, tum Paulli quoque, qui expreſſe duas appellat *διαθήκας* Gal. IV, 24. *παλαιάν* vnam 2 Cor. III, 14. alteram *καινήν* ibid. v. 6. Quarum hanc per epiſtolam Hebræis inſcriptam non modo *καινήν* in citatiſ ſupra ex cap. VIII, 8. 13. cap. IX, 15. atque *νεάν* cap. XII, 24. ſed *πρότερον* quoque cap. VII, 22. cap. VIII, 6. & *αιώνιον* cap. XIII, 20. illam vero *πρώτην* dicit. Egit operoſius de differentia veteris nouique teſtamenti in diſp. ſua inaugurali *de natura teſtamenti veteris* b. IO. FRIDER. KOENIGIUS, eaque in compendium miſit in *theologia ſua poſitiuo-acroamatica* part. 3. §. 829 - 890. ſub titulis: *de teſtamentis diuinis, de teſtamento veteri, de teſtamento nouo, de conuenientia veteris & noui teſtamenti, de differentia teſtamenti veteris & noui.* Res nim. ita habet. Quum condidiſſet Deus hominem in imagine ſua, ſecundum ſimilitudinem ſuam Gen. I, 26. eidemque, prout mente ſua conceperat, contuliſſet in intellectu ſapientiam, voluntatem vero exornaiſſet iuſtitia & ſanctitate, adeoque eſſet in homine ſumma ſuperiorum & inferiorum virium

harmo-

harmonia, vt exacte is perspectæ plene voluntati diuina obtemperare, eandemque sine nauo explere posset, promisit benigniss. conditor huic creaturæ sanctæ, ac iustæ, si in obedientia perseveraret, vitam æternam. Atque hoc est fedus antiquum, quod cum abrogaretur, & vt Paullus loquitur Hebr. VII, 18. ἀδελφὲς καὶ ἀνωθελεῖς redderetur, per lapsum hominis & defectionem a Deo, vt nunc amplius saluus per eam homo fieri non posset, Rom. VIII, 3. vt eo in sensu dici etiam possent statuta Dei non bona Ezech. XX, 25. ideo Deus humani generis in peccata prolapsi misertus, mox in ipso adhuc paradiso nouum cum Adamo inuit fedus, promissione filii in carne exhibendi, vt læsa diuinæ iustitiæ satisfaceret, & peccata expiaret, nixum, in quo fide finali apprehenso salutem consequerentur omnes. Hæc enim summa est proteuangelij Gen. III, 15. sonantis. Quumque Abrahamum eiusque per Isaacum & Iacobum posteros in peculiū sibi eligeret, euangelicum istud fedus, cum Adamo lapso instauratum, amplius exposuit, restricta Mesfiæ promissi exhibitione ad Abrahamæ posteros, ex quibus sit nascendus, & in quo benedictionem sint consecutura omnes gentes. Gen. XII, 3. cap. XVIII, 18. cap. XXII, 18. Galat. III, 8. Actor. III, 25. quæ etiam repetiit Isaaco Genes. XXVI, 4. Sub Mose vero latius exposuit rigorem, quem exegerit fedus operum, quod fecerat cum Adamo integro, cuius summa fuerat: Fac hoc, & viues, vt discerent Israelitæ rectius, quod minime nunc operibus suis, quippe tantopere foedatis, adeoque Deo maxime displicentibus ob nauos & defectus suos, saluari queant. Adeoque & ipsis recurrendum esse ad eum, quem Deus constituerit propitiatorium in sanguine ipsius fundendo, quam illius mortem λυτρωτικὴν figuris variis & schematibus sacrificiorum eminus adumbrabat. Tandem vero tempore diuinitus præstituto Gal. IV, 4. exhibuit Mesfiā ipsū qui & αὐτοπαροσώπως œconomiam salutis clarius exposuit, & per Apostolos toti terrarum orbi annunciauit, quod ipse vmbas illas, qui-

quibus olim fuerat delineatus, exacte implevit, easdemque sua ipsius corporis præsentia abrogavit. Ex quibus intelligitur facile, novam hanc dici dispositionem, non qua rem ipsam, quasi illa antea non innotuerit, sed quoad modum revelationis clariorem, quò patere cœpit orbi. Poteritque hoc dici fedus fidei, quia totum eo tendebat: Credite in Christum, tunc saluabimini omnes terræ fines, quem admodum prius fedus vocari potest operum, quoniam huc redibat totum: permane in obsequio legi diuinæ præstando, & saluus eris per promittentis gratiam. Mereri enim utique non poterat vel homo integer etiam obedientia sua, perfectissima licet, accurate loquendo vitam æternam, quippe ob suam a Deo dependentiam in fieri, esse & operari ad eam præstandam obstrictus, quorumue operum ipsius finitorum nulla erat ad infinitum præmium proportio.

§. VI.

Volumina itaque illa, quæ hanc nobis de salute nostra obtinenda dispositionem pandunt, comprehenduntque filii Dei *εὐαγγεῖα*, pro nobis in necem traditi, & a mortuis suscitati inque cœlos euecti beneficia nobis parta, indigitantur in tit. vel nûdo articulo *καὶ*, vel addito vocabulo *ἀπὸ πάντων*. Quanam vero sint illa, satis in vulgus notum est, videlicet ea, quæ vitam Christi in terris peractam, ecclesiæ nascentis fata, sonantisque in ea doctrinæ summa capita, vna cum satis ecclesiæ etiam futuris pingunt, numero viginti septem. Hæc enim deprehensa sunt habere *θεογνωστὰς κριτήρια*, ideoque admissa sunt in numerum scriptorum diuinorum, quibus & fides & vita hominum ad salutem tendentium formatur, ita vt secundum hunc canonem incedere oporteat omnes, quotquot pacis diuinæ compotes reddi velint, per pronunciatum Paullinum Gal. VI, 16. coll. Ies. VIII, 20. Cetera enim, quæ præter hæc circumferuntur, quum non haberent satis euidencia *κριτήρια* diuinæ originis cum interna, tum externa, non recepta fuere in nume-

numerum indubitato canonicorum. Tametsi enim inter hos 27. libellos sint etiam nonnulli, de quibus aliquamdiu a quibusdam fuit dubitatum, siue totam illorum compagem, siue aliquas eorum particulas spectes, atque non auctor tantum secundarius in dubium vocatus, sed ipsa quoque auctoritas diuina contradictionem fuerit passa, ita tamen clare tandem eluxerunt in iis vestigia diuinæ inspirationis, vt, superatis difficultatibus, quæ fuerant nonnullis circa hos libellos animaduersæ, cooptarentur ctm reliquis, qui *πρωτοκανονικοι* dicebantur, inque censum eundem venirent cum illis, nec minoris putarentur dignitatis, quam isti. Neque alio in sensu *δευτεροκανονικος* appellari volunt nostrates istam, quæ Hebræis inscribitur, item secundam Petri, secundam tertiamue Ioannis, Iacobi atque Iudæ epp. vna cum Apocalypsi Ioannea, & æqualem cum reliquis auctoritatem his asserunt, licet non semper & ab omnibus æqualiter agnitam fuisse agnoscant, prouti loquitur b. SEB. SCHMID. *præf. comment. super ep. ad Hebr.* EVSEBIUS posteaquam H. E. lib. 2. cap. 23. sub fin. de epistola Iacobi scripsisset: *ἴσθον, ὡς νοθεύεται*; lib. 3. cap. 25. non Iacobi tantum modo memoratam, sed Iudæ quoque, secundam Petri atque Ioannis secundam atque tertiam illorum classi, quibus contradicatur, annumerasset, itemque Apocalypsin Ioanneam lib. 6. cap. 25. passus esset accenseri *νόθοις*, s. spurriis, *ἢν τινὲς ἀθετοῦσιν*: Fatetur tamen lib. 2. cap. 23. verbis extremis: illas septem epistolas catholicas cum ceteris a plerisque ecclesiis recipi, & lib. 3. cap. 25. perhibet de Apocalypsi, alios eandem inter libros omnium consensu probatos numerare. Consuli huc poterunt qui de collectione canonis N. T. ex professo egerunt. D. IO. ENS pec. libello Amstel. 1710. euulgato sub tit. *bibliotheca sacra, siue diatriba de librorum N. T. canone, qua prima sacrorum N. T. librorum collectionis historiam ex antiq. ecclesiasticis depromit, atque canonem vulgo receptum continere vetustissimam & genuinam recensio- nem ostendit.* IO. MILLIUS in prolegg. ad editum a se N. T. cet.

& compendio luculento atque egregio GERHARDVS VAN MASTRICHT in *canone script. sacrae ecclesiastico*, secundum feriem seculorum post Christum natum collecto, quem seorsim recudi fecit, notisque a se adiectis subinde illustrauit CHRISTIAN. KOERBERVS, Pastor & Superint. Lobensteinens. in Voilandia, an. 1725, & qui primo mihi loco nominandus erat cel. Vlmensium rheologus IO. FRICKIUS in commentatione theologica critica de cura ecclesie veteris circa canonem sacrae scripturae 1728.

§. VII.

Summa ergo & argumentum vniuersi N. T. omniaque eiusdem libb. est Christus in carne exhibitus, & beneficia per ipsum parta, sicuti summa V. federis s. testamenti erat partim seruanda exacte lex diuina, quoad homo pollebat virtute praestandi, quae Deus exigebat, partim, posteaquam excidisset facultate illa, priuatus imagine diuina, in cuius locum successerat imago diaboli, Christus in carne exhibendus, atque salutem amissam recuperaturus cunctis, nemine vno excepto. Quem vt omnes homines apprehenderent, & ita per fidem salui fierent, annunciari voluit Deus & praedicari per vniuersum terrarum orbem, facto initio ab Hierosolymis Luc. XXIV, 47. Act. VIII. i. cap. XIII. 46. Quod vero & quam fideliter id executi fuerint discipuli Christi, sua iam aetate testatus est ille gentium apostolus Paulus non modo Rom. X, 17. perhibens: sonum suum, & coapostolorum egressum esse per omnem orbem, sed Coloss. I, 23. addens insuper, euangelium iam praedicatum esse omni creaturae, rationali puta, vt hominem Iudaei consueuerant vocare creaturam κατ' ἐξοχήν, praecipuam nimirum ex visibilibus, sub toto caelorum conuexo, yti iusserat terram visibili conuersatione sua derelicturus Iesus Marc. XVI, 15. coll. Matth. XXVIII, 19. Conferri huc poterit cel. IO. ALB. FABRICII anno 1731. euulgatus tr. sub tit. *salutaris lux euangelii, toti orbi per diuinam gratiam exorians s. notitia historica, chronologica, litteraria & geographica propagatorum per orbem*

orbem totum Christianorum sacror. Eam autem verbo per apostolos predicato & litteris consignato indidit virtutem, haud secus ac prophetarum, vt valeret producere in animis audientium fidem, eandemque & conferuare atque augere Rom. I, 16. coll. Hebr. III, 6. 14. itemque Matth. X, 22. quippe sine qua nemo vel Deo placere Hebr. XI, 6. vel accedere ad eum potest, nullamque salutis spem consequi. Non visum est optimo saluatori quicquam relinquere manu sua exaratum, ne homines forte huic plus tribuerent, quam ei, quod interueniente amanuensium opera consignari voluit. Nam quod Ioh. VIII, 6. in terram digito scripsisse legimus, de eo nescimus, quid perscripserit, & an pingendo varias nil significantes figuras, vti de Dauide, infamiam coram Achis simulante, constat ex i Sam. XXI, 13. ad declinandam forte mortis sententiam ferendam, quia ad eam non erat nunc missus per Luc. XII, 14. & Ioh. XII, 47. pinxerit. Alii opinantur, coepisse Christum, tanquam cordium renumque scrutatorem, depingere coram oculis praesentium peccata accusatorum mulieris adulterae atrociora, sibi probe perspecta, eoque ipso innuere voluisse, ipsosmet multis nominibus esse reos mortis, quod & deinceps satis aperte iis in os ingessit v. 7. & inclinatus perrexit scribendo v. 8. indicaturus forsan, dignos esse hos hypocritas, quorum nomina scribantur in puluere Ier. XVII, 13. neque esse scripta eorundem nomina in caelo, vt latari possint de conscientia recte ac bene actorum, fide Deo reconciliati, quod Christus perhibet de LXX suis discipulis, quos ablegarat ad expellendos daemones, & varia miracula paranda, quosque reduces cum gaudio factos excipiebat hoc effato Luc. X, 20. ne gaudete tam de hoc, quod diaboli vobis fuerunt subiecti, quam de hoc, *si nomina vestra sunt scripta in caelo*, ex vulgari de inscriptione in librum vitae sent. aut ex mente b. SEB. SCHMIDII in diss. de *deletione ex libro vitae*. IO. BENED. CARPZOVII *funeral. concion. part. 1. p. 1315. & part. 2. p. 782.* atque IO. FECHTII in *apparatu ad epp. Marbach. cap. 7.*

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

44

cap. 7. pag. 267. & *philocal. thesi biblica* 14. aliorumque recentiorum quam plurimorum, quod nomina vestra scripta sunt in caelo, & vos fruimini iuribus filiorum Dei & prerogatiuis, quibus gaudent ciues regni gratia ad regnum gloriae, si perseuerarint ad finem vitae, certo peruenturi. Certum hoc est & in confesso, nil amplius de hac Christi scriptura super esse, qua de varia aliorum coniecturae videri poterunt in cel. 10. ALBERTI FABRICII *codice apocrypho N. T.* Quae ad fidem EVSEBII in *histor. eccles.* lib. 1. cap. 13. multi habent de epp. Abgari & Christi amœbæis, & quae super iis agitantur quaestiones & virorum eruditorum disceptationes, ex his facile diluuntur. Refert nimirum EVSEBIUS: Abgarum, aut ut alii pronunciant Agbarum, aut, ut aliis effertur, Abagarum, ciuitatis Edessa Toparcham cum morbo graui conflictantem, opem Christi, perscripta ad ipsum epistola implorasse, cui Christus alia epistola responderit: se post ascensionem suam in caelos aliquem apostolorum, qui agro mederetur, missurum Edessam. Stetisse etiam Iesum promisso, atque iussu Thomae apostoli post suum in caelos ascensum misisse Taddæum, qui manu imposita Abgarum sanauerit. Refert EVSEBIUS l. c. in archiuis ecclesiae Edessanae epistolam Christi repertam esse idiomate syriaco, ex quo ipse in graecum transtulerit. Viri profecto eruditi haud pauci, interque eos rerum ecclesiasticarum peritissimus WILLIAM CAVE in *historia litteraria*, non procul ab initio hanc Christi epistolam ad Abgarum pro genuina habet, & eos, qui spuriam aiunt & supposititiam, oppugnat vel ex hoc capite, quod multi etiam ex veteribus vel integras eas referunt, vel istas minimum tanquam genuinas excitant. Exhibet vtramque epistolam latine b. MICH. WALTHER, pater, *offic. bibl.* §. 1408. graece vero & latine cel. 10. ALBERT. FABRICIUS in *codice N. T. apocrypho.* Iudicia eruditorum diuersa b. WALTHERVS circa has epistolas in tres classes dispescit, primamque facit eorum, qui nihil de iis definiunt, uti fecere *centuriatores Magdeburgenses* & ISAAC CASAVBONVS;

BONVS; secundam istorum, qui eas ceu genuinas tuentur, quod BARONIVM in annalibus fecisse ait, nixum auctoritatibus, quibus tandem ipse multum fidere ausus non est. Tertiam denique eorum, qui velut spurias reiiciunt, quorum opinioni & ipse WALTHERVS accedit §. 1412. cuius decisionem non approbat modo, sed latius quoque confirmat b. THOM. ITTIGIVS in heptad. ad tract. *de haeresarchis* disp. I. p. 106. Potiora, quæ huic Christi epistolæ pariter ac Abgari obesse videntur, & nostrum assensum iisdem ceu genuinis præbendum remorantur, hæc sunt, (1) quod syriacum exemplum, quod authenticum esse perhibet EVSEBIVS, non satis respondet linguæ Iesu vernaculæ, quam non syriacam, sed chaldaicam fuisse constat, ex formis vocum peregrinarum in N. T. obuiis, Abba, Mammona, Gabbatha, Golgotha, Rabbi, Talitha kumi, Eli Eli lama sabachtani, cet. quæ omnes non syriacam nobis referunt dialectum, sed chaldaicam, (2) idem exemplum syriacum prorsus interiit, ideoque perquam difficile est iudicatu, quanam lectionum in diuersis exemplis deprehensarum genuina sit. Præterea (3) suspectas illas reddit silentium Evangelistarum, perinde ac (4) omnium scriptorum, quotquot prioribus tribus seculis ante EVSEBIVM vixerunt. (5) Parcior scriptorum quarti & quinti post Christum natum seculi mentio. Et hos duos posteriores scrupulos exceptiones, quæ afferri solent, sibi nondum eximere potuisse b. ITTIGIVS l. c. pronunciat. Inprimis vero hoc mihi (6) obstare videtur, quod in epistola Christi Abgarus laudatur, quod crediderit. *Αβγαρε μακάριος εἶ, πιστεύσας ἐν ἑμοί, μὴ ἑωρακώς με* habent eius verba initialia, qui tamen in sua ad Iesum epistola dubitauit adhuc, an sit Deus, an Dei filius. Et, ita loquitur ex versione lat. Abgarus, *vbi hæc omnia de te audiui, alterum ex his duobus esse cogitavi, nimirum quod aut Deus sis, cælitusque delapsus ista facias, aut filius Dei existens hæc opereris.* Num quid enim Dei filius non esset ipse etiam Deus? Et numquid nondum certus de Iesu Deo,

D
Dei-

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

Deique filio, credere dicendus fuisset? Facit certe hæc dubitatio & oppositio incongrua, vt nec subscribere queamus cel. D. IO. ALBERTI FABRICII iudicio in *N. T. codice apocrypho* p. 318. & 319. huic: quod illæ epistolæ nihil indignum Christo contineant, neque etiam si pro genuinis habeantur, error aliquis ex illis confirmari possit; quum non vnus, sed vel duo in recitatis antea verbis contineantur errores vegrandes; quos notauit iam b. AVGVST. VAREN. in *rationar. theolog.* p. 147. addo (7) verba, quæ Christo ad Abgarum tribuuntur: *γέγραπται γὰρ περὶ ἐμοῦ, τὴς ἑωρακότας με, μὴ πιστεύσειν μοι, ἵνα οἱ μὴ ἑωρακότες αὐτοὶ πιστεύσωσιν*, vix vllibi scripta reperiri, quod tamen de iis perhibuisse dicitur Iesus. Equidem fere simile quid nouimus post resurrectionem suam dixisse Iesum Thomæ Io. XX, 29. sed aliquot annis postea demum, vt nunc ad ea tanquam scripta prouocare non potuisset, nisi huc forte cum cel. IO. ALB. FABRICIO referre mallet Ies. VI, 9. & cap. LII, 15. quæ tamen & ipsa vix consonant per omnia. add. b. IO. ANDR. SCHMIDIVS in *diff. de Pseudo N. T.* & HEIDEGGER *Enchirid. bibl.* lib. 3. cap. 30. n. 6. p. m. 666. EVSEBII auctoritas ideo obuerti his nequit, quoniam & ex aliis indiciis nimis credulum eundem fuisse alii iam pridem obseruarunt, vnde & hic forsan, fraude aliorum circumuentus, cespitauit.

§. VIII.

Inficiantur equidem multi hanc librorum N. T. efficaciam & auctoritatem siue in totum, siue in tantum; in totum eam negant & oppugnant ethnici atque gentiles, itemque Iudæi. Isti enim, vt vt facile sentiant, neutiquam sibi ad salutem perducendis sufficere cognitionem naturalem, quasvis tamen alias reuelationes supernaturales ementitas potius obrudi sibi passi sunt, quam vt eas, quæ in veteris nouique testamenti tabulis sunt consignatæ, admitterent, misere decepti per eas, & dati in errorum longe grauissimorum præcipitia, a quibus multo rectius sibi cauissent, si ductum lumi-

luminis naturalis essent secuti studiose. Quantumvis enim etiam hoc non valeret eis viam ad obtinendam beatitudinem plene præmonstrare, destitutum quippe medio satis idoneo ad sedandam aduersus peccata hominum accensam Dei sanctissimi iustissimique iram, præbebat tamen manu-ductionem ad inueniendum illud alibi a benignissimo numine reuelatum. Cuius succensentis grauisime numinis indignatio neque per nudam & solam eius misericordiam, neque per pœnitentiam ac ferium de peccatis admislis dolorem, poterat auerruncari. Neutrubi enim laeso supremo iudici satisfiebat, adeoque iustitia vindicatiua, Deo essentialis & naturaliter nota Rom. II, 32. impediebat, quo minus condonaret lapsus non expiatos; aut incertus maxime manebat homo, velintne Deus misereri sui, & acceptare dolorem de peccatis, ita, vt hominem a se auersum in gratiam reciperet, nisi testatus esset vtrumque iste gratiæ diribitor, qui & in necem tradendo filium suum vnigenitum palam fecit, se peccata non posse dimittere inulta. Vindicauit enim illa in præde ac sponfore nostro, cui alioquin pepercisset vtiq̃, si absque satisfactione potuissimus eripi ex exitio, teste tum Paullo Rom. VIII, 32. tum ipsomet liberatore Matth. XXVI, 39. sqq. in trina illa flebili supplicatione, qua semet prostrauit coram patre suo. coll. Hebr. V, 7. Crudelis enim esset pater, qui quum modo alio, quam filii sanguine, liberare posset inimicos, illum daret in mortem. In incertum itaque vagantur misereque pereunt, qui hunc non sequuntur Pharum, nobis in vtroque, inprimis autem in nouo, federe prælucentem, a Deo clementissime concessum.

§. IX.

Nec minus Iudai, admissa quidem V. T. auctoritate, suis rebus consulunt, spernentes ac nescio quorum errorum insimulantes nouum, eiusque obiectum personale, si non vnicum, certe præcipuum, Iesum videlicet Nazarenum, quem nos credimus esse promissum in paradiso semen

mulieris, variis conuictis proscindentes & tantum non lacerantes, magiæ insuper variarumque artium malarum postulantes ipsum. Sed non habent illi, quod suis pratexant erroribus, quod non posset retorqueri in ipsos ac veteris testamenti oracula, ipsis rectissime pro inuolabilibus & a Deo profectis habita, inque auctores secundarios, si non in vniuersum omnes, certe potiozem illorum atque præcipuum Mosen (vid. Deut. XIII, 1. ff. Num. XII, 6. 8. Deut. XXXIV, 10. Ioh. VIII, 5. cap. V, 45. 46. cap. VII, 29.) Est enim vti vetus testamentum noui stabilimentum, ita novum veteris complementum. Propter quem mutuuum inter vtrumque nexum arctissimum, nihil excogitari poterit contra hoc, quod non pariter officeret isti. Exemplo esse poterit Iesu Nazareni ex mortuis suscitati & in coelos sublata historia, cuius nobis testes locupletes sistunt N. T. scriptores, Paulus præsertim 1 Cor. XV, 4 - 15. quocum comparentur quatuor Euangelistæ, resurrectionem latius prosequentes, Marcus item atque Lucas tam in euangelio cap. XXIV, 50. ff. quam Act. I, 1 - 12. ascensionem in cœlum memorantes. Huic christianismi acropoli 1 Cor. XV, 14. quod obuertant Iudæi non habent, nisi quod testes domesticos aiunt esse, quos producere queamus; illorum vero fidem non esse omni exceptione maiorem. Ex quibus si scisciteris, quam ratione inducti credant: Eliam in cœlos vivum ascendisse, quod scriptura 2 Reg. II. 11. asserit apertissime, nullum sane istius rei testem producere valent, præter vnum Elisaum, domesticum sane Eliæ, *αυτοπλην*. Licet enim & alii prophetarum filii id prænucciassent Elisæo, hodie, quum abiret cum fidelissimo doctore suo per Iordanem, a miraculosa Eliæ percussione, pallio facta, scissum, futurum, vt auferret Deus herum & doctorem eius, quo minus amplius sit caput eius visibiliter præsens & rector. 2 Reg. II, 3. 5. Licet etiam quinquaginta viri, quibus eadem obtigerat reuelatio ib. v. 7. in eminentiori loco constituti, prospicerent post Eliam & Elisam per Iordanem abeun-

abeuntes; non tamen & hi conspexisse leguntur ascensionem ipsam. Neque tamen vllus Iudæorum in dubitum vocare audebit Eliæ in cœlos sublacionem, cuius reditum a Malachia, prophetarum V. T. postremo, credunt promissum Malach. III, 23. 24. (germ. cap. IV, 5. 6.) Nulla ergo ratio apparet idonea, quare non admittant quoque Christi tam resurrectionem, quam in cœlos ascensionem, tot testibus haud inferioribus, quam fuerunt Eliæ discessus, comprobata. Neque enim testes resurrectionis Christi atque ascensionis siue numero, siue ἀξιωματικῶς notis cedunt Elianis, sed, numero minimum, eos longissime superant.

§. X.

Sed his, tam iudæis, quam ethnicis, abunde est satisfactum ab innumeris fere, qui tam V. quam N. T. scriptorum auctoritatem vere diuinam & prorsus infallibilem comprobarunt solide, defenderuntque contra peruicacissimos aduersarios masculæ. Ex patribus iam occuparunt hoc argumentum, & contra ethnicos illud disceptarunt, TERTVLLIANVS in *apolog.* IUSTINVS MARTYR in *parenese ad gentes.* ARNOBIVS lib. 7. *aduersus gentes.* THEODORETVS in lib. 9. ad græcos s. in libro *de legibus.* EVSEBIVS in *proœmio chronic.* cuius etiam *demonstratio & preparatio euangelica* suo huc modo spectant. AVGVSTINVS *de C. D.* lib. 18. cap. 34. cet. Hos deinceps alii sunt insecuti magno agmine, quos nonnulli recensuerunt ex professo nominatim cel. E. S. CYPRIANI in præf. ad *Io. Canuti Lenæi* de hac materia scriptum, ipsius laudati viri opera recusum, & inprimis cel. IO. ALB. FABRICIVS, qui non modo *biblioth. græcæ* lib. 5. part. 3. cap. 8. plures huc pertinentes auctores serie alphabetica recenset, & centum adhuc alios, ibidem non nominatos, promittit in præf. adeo vt eorum numerus, vt calculum nonnulli subduxerunt, ad 422. excurrat: sed idem quoque 1725. edidit in 4to tractatum constantem 4. alph. 6. pl. sub tit. *delectus argg. & syllabus scriptorum, qui veritatem religionis christiana aduersus Atheos, Epicuræos, Deistas s. Naturalistas, Idololatrias, Iudæos & Muhammedanos,*

Janos, lucubrationibus suis afferuerunt, præmisit etiam EVSEBII CAESARIENSIS proœmium & capita priora demonstrationis euangelica, quæ in editionibus hæctenus desiderantur, deprompta ex bibliotheca celsissimi & sapientissimi Walachia Principis, Ioannis Nicolai, Alexandri F. Maurocordati & latine reddita. Ex sequioris ætatis auctoribus excellunt præ aliis AVGVST. STEVCHVS EVGVBINVS, in, *de perenni philosophia*, aureis libris, vti b. CHRISTIAN. KORTHOLDVS appellat in *ingeniæ Theologia cultoris prodromo* cap. 6. §. 69. p. 106. H. GROTIVS in exasciato libello de *ver. relig. christ.* in varias linguas transfuso, & multorum notis illustrato. PHILIPP. MORNAEVVS, vir & toga & sago inclytus, qui scripsit gallico primum idiomate librum de *veritate religionis christianæ*, quem hortatu cl. viri HVBERTI LANGVETI latina veste induit ipse, vt indicat b. WAGENSEL. *proœm. ad tela ignea Satanae* p. 50. Sed valet de hoc Plessiaci domino nobilique Gallo id, quod vulgo dici solet: laudatur ab his, culpatur ab illis. MICH. enim WALTHERVS in *harmonia bibl.* edit. 7. p. 53. vocat compilatorem STEVCHI EVGVBINI, quam vero eius censuram nimis rigidam nuncupat b. KORTHOLDVS I. C. EILHARDI autem LVBINI, Rostochiensis theologi, iudicio, post scripta apostolica non fuit liber melior editus. b. THOMAE ITTIGII in *opusculis var.* p. 252. sq. hoc de Mornæo est iudicium: *Num Mornæus in hoc opere sit Postelli plagiarus, illis diiudicandum nunc relinquinus, quibus utrumque scriptum inter se conferre vacat.* Dixit vero paullo ante ITTIGIVS de POSTELLI opere, cui tit. is præscripsit de *orbis concordia*, illudue vbi recensuerat, ait, RATMVNDVS p. 276. *ex hoc Postelli opere multa desumpsisse iudicat auctorem libri de veritate religionis christianæ; atque subiicit mox ITTIGIVS; intelligit PHILIPPVM MORNAEVVM Plessiaci dominum, cuius liber de veritate religionis christianæ exstat. Hunc enim ex POSTELLO, & VIVE & SAVANAROLA pretiosiores liquores, quibus librum suum de veritate religionis christianæ rigavit, hausisse, arguit SPONDANVS ad annum Christi 1581. notatque TEISSERIVM, qui in *elogiis eruditorum virorum* non recte inspex-*

inspexerit SPONDANI locum, quando dixit a SPONDANO re-
ferri, quod VIVES librum suum de *religione christiana*, quoad
meliozem eius partem compilauerit ex POSTELLO. b. IO.
FÈCHTIVS in *schediasmatibus sacris exercit. i. §. 241. p. 426. sq.*
id in CLEMENTE ALEXANDRINO aliisque veteribus, id in PHI-
LIPPO MORNAEO & recentioribus, qui de solida rerum tra-
ctatione iudicarunt, desiderant, quod omnis quidem ge-
neris testimonia atque exempla, ex omni antiquitate in-
comparabili diligentia collecta, quibus gentilibus qua-
lemcunque dogmatum christianorum fidem faciamus,
exhibeant, sed tamen bona mixta malis, & falsa veris,
quod vtiq; in re seria necessarium est, non distinguant.
Ienæ Mornæi opus notis illustratum, nouoque tam aucto-
rum, quam rerum & verborum indice copiose auctum
edidit sine anni indicio IO. FRID. BREITHAVPT, consil. Saxon.
Criteria cum interna tum externa, & illa tam ex parte
scripturæ sacræ materialis, quam formalis diligenter expo-
suit libello perquam egregio b. AEGIDIUS HVNNIVS, pater,
theologus primum Marpurgensis, deinde Wittebergensis,
eidemque titulum fecit, de *maiestate scripturæ sacræ* seorsum
excuso, & tomis Hunnianis inserto, vbi legitur in tom. 1.
& primum occupat locum, eundemque nuper recudi cu-
rauit b. D. IO. HENR. FEVSTKING, præmisitque b. HVNNII *thesauro*
euangelico. HVNNIO subiungi meretur discipulus, quem
dignum censuit, vt præficeretur liberis, in bonis litteris
ac moribus recte instituendis, b. IO. SCHROEDERVS, Suin-
furtensum primum, deinde & Noribergensium antistes, in
perquam erudito libello: *de principio theologiæ*, quorum ve-
stigia calcarunt G. CALIXTVS in *apparatu*, & nostra academiæ
decus b. IO. MVSAEVS in *introd. in theologiam*. Post alios re-
centiori atate ex nostris idem egit b. GOTTFR. OLEARIYS tr.
germ. posth. qui inscribitur: *Jesus der wahre Messias, ein*
köstlicher Eckstein, und ein Fels der Nergerniß aus Matth. XI, 2-10.
zu gründlicher Bewähring der Christlichen Religion sùrgestellt
anno 1714. Ex Anglis STILLINGFLEET in *originibus sacris*, ex
Gallis

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

Gallis IACOB ABBADIE huc spectat in der triumphirenden Christlichen Religion, aus dem Französische übersezt, und durch unten beygefügte Anmerkungen aus Mornæo, Grotio, Clerico, &c. erklärt, mit einer Vorrede vom Nutzen und Methode dieser Schrift zu Zell, 1713.

§. XI.

Aduersus Iudæos speciatim, præter magnam partem iam laudatorum, consuli poterunt quotquot & gentilium & eorum Matæologiam sibi sumserunt expugnandam, ex quibus potiores sunt seculi XIII. labentis scriptor RATMVNDVS MARTINI in *pugione fidei*, eiusue epitomatores, albus unus, PORCHETVS nempe in *victoria contra Iudæos*, alter vero niger, & qui de suo assuit nonnisi commenta, PETRVS GALATINVS in *Arcanis catholica veritatis*. IOH. HOORNBECKIVS de *conversione Indorum & gentilium*, item de *conuincendis & conuertendis Iudæis ex nostris* b. IOH. MÜLLER, Vratislauenensis, ministerii Hamburgensis senior, in *Iudæismo*. Ex reformatis EISENMENGERVS in *Iudæismo detecto*, quem librum diu suppresserunt variis artibus Iudæi, vsque dum tandem 1711. præscripto Regiomonti in Prusia nomine prodiret; Francofurti autem reuera impressum legimus in ipso opere part. 2. p. 667. adde de hoc scripto cel. WOLFFII *hist. lexicor. hebr.* cap. 3. §. 18. p. 215. collata tamen *biblioth. hebr.* part. 2. lib. 5. VOC. EISENMENGERVS p. 1024. vbi quædam emendatius & rectius. Idem egit, & proprio Iudæos hic gladio iugulauit b. noster D. DANZIUS in *inauguratione Christi ad docendum haud minus solenni, quam fuerit Mosaica*. Referrî quoque huc debent ii ex Iudæis nominatim, qui vel Christi famam, natiuitatem & facta non allatrarunt tantum, sed foedisimis etiam mendaciis conspurcarunt, vel ipsas N. T. tabulas atque doctrinam sub seuerius examen reuocarunt, nescio quæ sibi falsa & inepta in eis deprehendisse visi. Ex illis eminent variû libelli virulentissimi, titulum ישו תלורווי s. *actorum Iesu Nazareni*, nobis pro Messia habiti, præferentes, & liuorem vel in ipsa fronte prodentès, dum optimi Iesu nomen depravant

vant in rubro & יָשׁוּ scribunt, quod יְשׁוּעָה integrum scri-
 bendum esse, etiam lippis atque tonforibus inter eos per-
 spectum est. Sed impie illi ludunt in innocentissimi So-
 spitatoris nomen, dira quæque eidem hac ratione imprecati,
 quasi dicerent ימח שמו וזכרו *deleatur nomen & memoria eius.*
 Tam astute tamen id agunt, tantaue vafricie, vt artium eo-
 rundem ignarus non confestim animaduertat, aut fallere
 etiam queant ad hæc attentos, prætextu abbreviatæ scriben-
 di rationis, penes ipsos usitatæ, qua unam subinde alteramue
 litteram detruncant, cuius tamen defectum virgula declivi,
 ad finem vocis decurtatæ appicta, notant, quam callide hic
 omittunt. Prostant huius nominis varia apud Iudæos scri-
 pta, quorum recitant diuersa, qui nobis bibliothecas Iudai-
 cas tradiderunt, ex quibus nunc allegasse suffecerit cel. vi-
 rum IO. CHRISTOPH. WOLFFIVM in *bibliotheca hebraica.* Duo
 ex illis præ aliis virulenta prostant, quorum unum b. WA-
 GENSEILIVS inseruit editis a se *telis igneis Satanæ.* Illudue &
 in latinum vertit ac refutauit solide. Alterum anno 1705.
 in forma libb. gva maiori Lugduni Batavor. ex MS. hucus-
 que inedito vertit, ac in notis adiectis Iudæorum nequitias
 rerudit, auctorisque asserta ineptiarum ac impietatis conui-
 cit, IO. IACOBVS HVLDRICVS, *Tigurinus.* Faciunt quoque
 ad execrandorum istiusmodi probrorum discussionem, qui
 de fabulis Iudæorum exposuerunt IO. MICH. LANGIUS
 aliine. Et vel hinc detestabilis auctorum illorum impro-
 bitas ad oculum patet, quod maiores ipsorum Christo
 ipsimet talia obiicere non fuerunt ausi, & quæ opposue-
 runt Ioh. VIII. & alibi ita diluit Iesus ipse, vt in ruborem
 dati obmutescere cogerentur. Vniuersam vero doctrinam
 christianam noui testamenti libris comprehensam, qui ex
 Iudæis aggredi sunt ausi, vani iactatores triumphum canen-
 tes ante victoriam, commenta sua splendido נצרות, *victo-*
riam sonante, titulo insigniunt, & his vehementer super-
 biunt sibi que blandiuntur, quasi in illis omnem christiano-
 rum aciem debellauerint, ac christianos ipsos in turpem
 E fugam

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

44

fugam dederint. Iudæorum igitur impudentiam mireris merito, dum non verentur negare librum eiusmodi unquam existisse, ceu retulit b. IO. MÜLLERVS in epistola ad BVXTORFIVM, quam *caralectis* suis inseruit IO. BVXTORFIVS, nepos, hodie Professor Basileensis cel. p. 444. Quanquam enim vel ipse b. MÜLLERVS talem non viderit, vti fatetur in epistola citata, plures tamen huius nominis profatæ, & mire inter se confundi a multis obseruauit cel. WOLFFIVS *biblioth. hebr.* part. 1. ad R. Lipman. pag. 734. sqq. inprimis 741. Patet hoc tum ex *Hackspaniano* isto, quod verpæ cuidam extorsit, & iuris publici fecit. Cuius auctor carmine breui complexus summam illius, vt recutiti in prompta haberent memoria, & facile recordari possent eorum, quæ potissimum opponenda iudicauit LIPMANNVS christianæ fidei, eodem fere modo, quo H. GROTIVS libelli sui de *veritate religionis christianæ* carmine comprehendit, christianæ doctrinæ veritatem, vt Bataui, in terras longe distitas profecturi, haberent, quo & se tuerentur, & aduersarios varii generis conuincerent errorum suorum. In latinum transtulit non modo carmen illud Lipmannianum, sed operose etiam illud refutauit laudatus iam aliquoties WAGENSEILIVS loc. cit. qui etiam in multis deprauatam & hiulcam editionem Hackspanianam, ope duorum MSS. quæ nactus erat, emendauit ac restituit integritati, easdemque correctiones Lipmannianas adiecit suo in cod. *Sota* commentario 1674. euulgato. Præterea WAGENSEILIVS *Nizzachon* vetus ex MSS. bibliothecæ Argentoratensis inseruit suis *telis igneis*, illudque vetus propterea inscripsit, eo quod Hackspaniano esset vti nequius, ita & multum vetustius, adeoque a BVXTORFFIO *synagog. Iud.* cap. 3. & alibi perperam Lipmanno tributum, quum Lipmannus pertineat ad sæc. xv. a Christi natiuitate, vetus autem hoc diaboli excrementum ad sæc. xii. aut circiter referendum colligit WAGENSEILIVS exinde, quod nullum hac ætate iuniorem ex Rabbiniis memorat, cum tamen antiquiorum quorundam, & alicuius qui vndecimo seculo inter suos floruit,

ruit, inicit mentionem. Hunc librum ספר חנוכה veterem, latina veste indutum, comparere iussit WAGENSELIVS, eidemque subiecit mox eadem facie in publicum prodeuntem, R. ISAACI filii Abrahami ס' חנוכה אמור ex MS. Africano, ad quod supplementum & lectiones quasdam variantes dat cel. IO. CHRISTOPH. WOLFFIVS *biblioth. hebr.* volum. 3. appendice ex MS. & collatione Vngeriana. Vetustiore tamen hunc facere videtur b. WAGENSELIVS in *prafat.* qua describit, quomodo illum obtinuerit dono a Iudæo aliquo Stephano, eiusdemque vestigia premens b. BRANDANVS HENR. GEBHARDI p. 1. examinis sui, mox distinctius memorandi, dum scribit WAGENSELIVS quidem: *ipsa lectio facile cuique prodet, circa medium superioris seculi* (scribit vero hæc 1681.) *denum conceptum esse tetrum ac stygium hunc fatum.* GEBHARDVS vero: Rabbi Isaac ben Abraham scripsit hebræo idiomate circa medium superioris seculi tetrum ac blasphemum librum aduersus christianos, quem מנין אמור *munimen fidei* vocat. Quibus in verbis non quidem secul. xv. vti WAGENSELIO tribuit cel. CHRISTIAN. REINECCIUS in *prafat. ad Antonii Margarithæ gangen Jüdischen Glauben*, qua nouam anno 1705. eius editionem a se procuratam ornauit p. penult. sed potius sec. xvi. innuunt ambø. Scripserunt enim ista labente seculo xvii. non xvi. WAGENSELIVS quidem vt supra notauimus 1681. GEBHARDI vero 1699. d. 19. Dec. adeoque seculum superius indefinite nominantes, proximum vtique & immediate præcedens innuunt, quod vero non est xv. sed xvi. Lapsum tamen memoriæ vel sic commissum esse ab vtroque viro eruditissimo, WAGENSELIO & GEBHARDI colligitur ex editionis *Wagenseliana* pag. 342. vbi mentio fit anni post Christi natiuitatem 1616. quem ideo attigisse oportuit viuendo R. Isaacum, istarum scurrilitatum auctorem, circa quæ etiam tempora ipsum enixum esse infaustum huncce fatum facile apparet, vt non queat ad medium seculi xvi. multo autem minus sec. xv. (quod tamen cel. WAGENSELIVS fecit) referri. Verba ex versione WAGENSELII latina hæc sunt,

E 2 quæ

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

44

quæ indigito: cum annus præsens sit annus 5375. a condito mundo. & annus 1547. ab excidio templi secundi, annus vero Nazarenorum 1616. (in hebr. est ארף דר' טו) post natiuitatem Iesu Nazareni &c. prodiit scelestum hoc opus, post *Wagenfeilianam* impressionem, ipsorummet Iudæorum opera denuo Amstelod. an. 465. secundum supputationem minorem omissoe millenario, qui est vulgaris christianorum supputationis 1705. de qua editione cel. WOLFFIUS *biblioth. hebr.* part. I. pag. 942. monet, occurrere passim varietates quasdam etiam maioris momenti a *Wagenfeiliana* impressione, quarum ope editio *Wagenfeiliana* multum emendari possêt, sicut & Amstelodamensem in interpunctionibus maiorem curam & diligentiam probare ait. b. IO. MÜLLERVS varia sibi ex hoc *munimine fidei* examinanda sumisit & vindicanda. Ex instituto autem illud aggressus est IACOB. GVSSET in *ternione aduersus Iudæos*, vindicatis ex prima eius parte, qua V. T. oracula christianis fauentiora peruertit & misere torquet Apella. Gen. III, 15. cap. XLIX, 10. & Ies. VII, 14. cui etiam cap. IX, 5. addit, prodromus hic ternio, Dordraci 1688. in 8. editus, erat operis secuturi, quo & cetera R. ISAACI esset discussurus, quod vero demum post obitum Guffetii prodiit in fol. 1712. Amstelodam. sub tit. hoc ex Malach. III, 20. petito: שמש צדקו ומרפנו בכנפיו *sol iustitia & sanatio sub alis eius.* Quemadmodum ex nostris b. BRAND. HENR. GEBHARDI anno 1699. evulgauit: *centum loca N. T.* quæ R. ISAAC ben Abraham in suo *מזוק אמורה* i. e. *munimine fidei*, deprauauerat, vindicata. Absoluebant illa centum loca posteriorem operis Isaaciani nefandi partem. Neque etiam priorem plane intactam reliquit hicce theologus ecclesiæ nostræ, sed per varias deinde disputationes etiam V. T. loca quæpiam prophetica vindicauit. Iurè etiam huc conferuntur, qui Iesu Christi diuinitatem asseruerunt aduersus Iudæos, ex nostris b. IO. STORRIUS in *der Evangelischen Glaubens-Krafft*; ex Anglis, RICHARD KIDDERVS in *demonstratione Messie* anglico idiomate perscripta, & digna quæ Latio donetur. Nec omit-

omittenda est penitus illorum mentio, qui de Iudæorum conuersione promouenda laborarunt. e. gr. b. MART. DIE-
FENBACH in *Iudæo conuertendo*, item in *Iudæo conuerso*, b. SIGISM.
HOSMANNVS im schwer zu befehrenden Juden-Herk, primum
1699. edito, tractatu longe eruditissimo, Helmstadii recu-
so 1701. & tertium 1725. repetito, quam auctiorem vocant
editionem auctores *de rer. Unsch. Nachr.* eodem anno p. 621.
Longe plures huc spectantes alphabetica serie enumerat
cel. WOLFFIUS *biblioth. hebr.* part. 2. lib. 5. toto. p. 993-1135. med.

§. XII.

Dolendum autem est vehementer, exstitisse etiam in-
ter eos qui Christi nomen profitentur, qui modo totum la-
cesserent vellicarentque N. T. modo aliquas eiusdem perico-
pas in dubium vocarent e. gr. Marc. XVI, 9 - fin. Luc. XXII,
43. 44. vbi sistitur nobis Christus ab angelo confortatus in
agone suo, & sudorem sanguineum emittens: item histo-
riam adulteræ Ioh. VIII, 1. aut 3-12. ac similes. Eodem
pertinent, qui per varias hypotheses periculosas indirecte
minimum, subruunt horum librorum auctoritatem, &
fidem eorum tantum non omnem conuellunt in propria
viscera sæui. Tribuunt hi amanuensibus sacris mox lapsus
memoriæ, mox & solæcismos & barbarismos, mox loquelas
ad captum vulgi erroneum attemperatas, aliaque neuti-
quam cum diuina veracitate & infallibilitate constituta. Præ-
aliis in hoc negotio defudant exiudæus ille famosissimus
BENEDICTVS de SPINOZA, sub christiano nomine & larua
Atheus, & omnis religionis proculcator impudentissimus,
non tam retento ex iudaismo nomine כּרִיך, quam potius,
si sententias ab eo disseminatas pestilentissimas spectes,
כּרִיך *maledictus* nominandus. Specimina huius suæ ne-
quitix luculentissima edidit in tract. *theologico-politico de liber-
tate philosophandi*, in quem proinde, iusto zelo percitus, ca-
lamum strinxit b. noster IO. MVSÆVS, eiusque impietatem
detexit 1674. sub *Spinosismi* tit. quem Wittebergæ recusum

28

29

30

31

33

34

35

36

37

38

40

luci stitit denuo bibliopola ibid. Meyerus anno 1708. SPI-
NOZAM secutus est THOM. HOBBSIVS in variis, *de ciue & Leui-
thane* praesertim, scriptis. Atque hypothesebus suis sublestit
RICHARD SIMON, IOH. CLERICVS, aliique, contra quos b. IOH.
HENR. MAIVS in *diss. de inspiratione libb. sacror.* inaugurali, in
selectis eiusdem *diss.* qua adherent *dissertationibus sacris*,
postea theologiae propheticae titulum nactis, & quoad locos,
qua in *diss. sacris* desiderabantur, auctis, prostante. Taceo
Criticos profanos, quibus sacra plerumque sordent, adeo
ut, qua in profanis tanquam veneres deosculantur & admi-
rantur, in sacris tamen ferre vix queant, & acriori sua cen-
sura subiiciant.

§. XIII.

Verum hi si expenderent a perfectissimo ente, Deo,
perfectam esse etiam hanc Scripturae sacrae partem, tempe-
rarent sibi utique ab istiusmodi iudiciis, & verecundius sen-
tirent de illius oraculis. Hoc vero dum non admittunt,
sed humanam tantum originem tribuunt iis, hinc in tanta
prorunt errorum praecipitia, seque periculosis suis princi-
piis in extremam ipsimet miseriam coniiciunt. Conuin-
cendi itaque sunt de Scripturae sacrae a Deo, homines ad sa-
lutem perducturo, dependentia, a qua & infallibilitatem &
potentiam habet, non praemonstrandi tantum hominibus
sed persuadendi quoque viam, qua eundem, ac vim & vir-
tutem flectendi voluntatem in obsequium promptum, atque
sic deducendi eos ad metam praefixam. Neque enim ex &
a, siue per se habet hoc Scriptura, vt tantopere percellat
animos hominum, eosdemque prorsus immutet. Nam
quatenus vt Scriptura ab hominibus perfecta consideratur,
non alia pollet vi, quam verbum quoduis aliud humanum,
significatiua videlicet atque morali suaforia. Verum in
quantum est sacra, a Deo in hunc finem data per inspira-
tionem ac suggestionem immediatam, vt homines, inibi
dictis fidem prorsus immotam & omnis dubitationis ex-
pertem, mandatisue obsequium promptum & prorsus irre-
fraga-

fragabile præbentes, æternum saluentur, eatenus habet vim quoque productiuam & effectiuam motuum actuumue spiritualium, intra animum producendorum, efficiendique ut homo assensu plane indubitato intra intellectum admittat credenda & agenda, & sequatur spiritu spontaneo & *πρὸς* *ὑπὲρ* Deo grata. Atque hac ratione non penitus reiiciamus quorundam distinctionem inter sensum Scripturæ naturalem & spiritualem, modo attendatur & hoc, nunquam ex Dei ordinatione sensum Scripturæ naturalem esse sine spirituali, & non posse hunc ab illo diuelli aut separari, sed cum naturali semper & vbiuis vinculo indissolubili copulatum esse diuinum & spiritualem.

§. XIV.

Prouti vero scriptura sacra in & per se omnem suam dignitatem & ἀξίωσιν a Deo habet, quippe a quò dependet vnice: ita vt & nos illius auctoritatem prorsus irrefragabilem cognoscamus, opus est, vt certi simus de ipsius a Deo dependentia, deque diuinis huc requisitis perfectionibus conuicti. Duobus ergo principiis nititur hæc Scripturæ auctoritas, quoad nos, quorum *unum* cum sit etiam lumine naturæ certum, sitque hoc: quicquid a Deo est immediato auctore, illud, tanquam ex omni parte verum, est amplectendum, si ad credenda illud spectet, & prompto obsequio perficiendum, si in mandatis confiterit. *Alterum* hoc est: Quicquid Scriptura etiam N. T. continet, illud est a Deo immediato auctore profectum. Ast hoc cum non sit natura sua, vti illud, evidens, probatione indiget, ut animis hominum persuadeatur, & ubi probatum fuerit, facile hinc penes animum conuincatur quisque, per eas entis summi perfectiones naturali etiam lumine cognitæ, perque perspectam horum librorum a Deo dependentiam, non posse non omni veneratione assentiri quemuis eius assertis, & obtemperare imperatis. Vti enim ens summum pollet omnium cognitione, ita etiam gaudet potestate omnibus faciendæ præscribendæ & fugiendæ, tenenturque ob suam ab eo in fieri, esse & operari dependen-

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

40

pendentiam creaturæ, vt citra hæſitationem atque renitentiam ea intromittant in animum.

§. XV.

Modus, quo aliquid a Deo provenit immediate, varius est admodum, etiam in ſcriptionis negotio obuius, & aliquando ſimpliciter excludit omnem interuenientem operam humanam, quemadm. in tabulis Moſis prioribus, & in ſcriptura, quæ Belteſchazari in pariete, poſtrecta ex eodem manu conſignabatur, cernimus; interdum concurrit quidem opera humana, ſed quaſi præparatoria tantum, vti videre eſt in tabulis Moſaicis poſterioribus, quas infra montis radices dolarat Moſes, apportabatque Deo in montem, qui ſcribebat digito ſuo in iis eadem præcepta decem, quæ exſtiterant in prioribus, ex Exod. XXXII. coll. Deut. X, 1. ff. Denique etiam in ſignificanda voluntate ſua mortalibus ita vtitur diuinum numen hominum opera, vt hi nonniſi instrumentaliſter ſeſe habeant in iis, quæ proferunt, principaliter vero iſta Deo vnice ſint adſcribenda. Hunc producendi aliquod dictum aut ſcriptum modum, θεοπνευσίαν appellare ſolent ex 2 Tim. III, 16. infert autem θεοπνευσία primo excitationem ad loquendum aut ſcribendum, deinde etiam omnium, tam verborum, quam rerum conſignandarum conceptus, ſiue illæ ſint ſublimes, & captum hominum excedentes, ſiue ſint inferiores, & ſub captum humanum cadentes, in hoc iſtius ordine, hoc iſtius verborum delectu proferenda. Adeoque plus eſt το inspirare, quam vel nude excitare ad loquendum aut ſcribendum, plus quam nude adſpirare & ſuggerere ſcribenda, aut aſſiſtere loquenti ſcribentiue, ne ceſpitet inter loquendum & ſcribendum, plus denique quam nude approbare perſcripta aut pronuntiata, quam poſtſpirationem vocat b. DANNHAWERVS in *hodoſoph.* Sed hæc omnia ſimul comprehendit θεοπνευσία hæcce, & mandatum quidem ſcribendi, cum explicatum aliquando v. g. Deut. XXXI, 19. Ieſ. VIII, 1. Ier. XXX, 1. 2. Apoc. I, 11. 19. tum implicitum Matth. XXVIII, 19. Ier. XX, 9. quo etiam Iobi

XXXII,

XXXII, 18. Pf. CXIX, 86. spectant; & excitationem voluntatis ad scribendum in iis, quos ad hoc negotium destinarat Deus. Quos in ipso θεοπνευσίας actu ducebat in omnem veritatem, quo etiam cunque illa nomine veniebat Ioh. XVI, 13. Pf. CXIX, 86. vt deprehendi non possent falsa locuti i Cor. XV, 15. sed acti a diuino Sp. & loquerentur & prophetarent 2 Petr. I, 19. sq. & ne iis quidem exceptis, quæ alii perperam de Christo vel statuerunt, vel dixerunt, e. g. Ioh. VIII, 48. Pf. XIV, 1. impia atque blasphema; licet enim Sp. sancto isthæc tanquam approbata tribui nequeant, recitata tamen & scripto relata omnino dicenda sunt ab eo. In vita & conuersatione eo ipso, quia θεοπνευσία non erat donum permanens, sed actus transiens, aliquando scriptores diuinos a vero aberrasse; Davidis 2 Sam. XI, 24. 1 Sam. XXV. Nathanis 2 Sam. VII, 3. Petri Gal. II, 13. Ioannis Apoc. XIX, 10. cap. XXII, 8. exempla comprobant. In loquendo tamen non sua, sed Spiritus Dei verba enunciarunt i Cor. II, 10. 13. 16. Rom. XV, 18. 2 Sam. XXIII, 1. 2 Petr. I, 19. 21. actum ergo loquendi & scribendi ita Deus per amanuenses præstitit, vt quæ ipsi dicerent ac scriberent, ipse Deus dixisse & scripsisse putandus sit Hof. VIII, 12. 2 Sam. XXIII, 2. Matth. X, 20. Act. I, 16. cap. XXVIII, 25. Vnde κατ' ἐξοχήν appellantur amanuensium sacrorum scripta ἱερὰ γράμματα ad docendum, arguendum, corrigendum, manuducendum ita apta, vt homo Dei per ea idoneus reddatur ad omne opus bonum, quin immo omnes instruantur ad salutem per fidem in Christum 2 Tim. III, 15. 16. 17. Atque hæc θεόπνευσια sese extendit etiam ad vilissima quæque, gramen v. g. Pf. CIV, 14. ex terra prodiens, passer- culos & crines capitis Matth. V, 36. cap. X, 30. Luc. XII, 7. cap. XXI, 18. Act. XXVII, 24. quibus quicquam vilius vix cogitari aut dici potest, adeoque hæc, & quæ de iis nos docemur, neutiquam sunt inspiratione diuina indigna censenda, quemadmodum non fuerunt indigna, quæ Deus creando produceret & producta conseruaret, iisdemque prospiceret. Alias enim etiam naturalis homo, ad spiritualia iudi-

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

40

canda minus aptus, in vilioribus facile numeraret vel maxime sublimia per 1 Cor. II, 14. & hinc illa quoque a diuina inspiratione eximeret. Suntque insuper inter se ita commixta historica & dogmatica, vt illorum *θεοπνευσία* negata, horum non facile salua manere possit. Neque a *θεοπνευσία* eximimus aliunde iam nota amanuensibus sacris, siue ex sensuali & experimentalis cognitione, siue ex traditione maiorum illam notitiam hauserint, quippe quam notitiam *θεοπνευσία* tam non tollit, quam perficit Luc. I, 3. Dicendi alias essent Moses, prophetae, apostoli omnem eorum, quorum & ipsi aliquando pars exstiterant, prius memoriam deposuisse, quum scriberent ea ex *θεοπνευσία*. Paullus nomina magorum aegyptiacorum Iannes & Iambres 2 Tim. III, 8. nota apud Iudaeos, vt ex Targ. Ionath. ad Exod. VII, II. & Talm. II. ap. BVXT. *Lex. Talm.* col. 945. constat, prius oblivioni tradidisse putandus esset, antequam Sp. diuini iussu eadem scripto exprimeret, Idem dicendum videtur de materia ex qua vasculum, quo Manna fuit asseruatum, paratum est, quod Hebr. IX, 4. ex auro fuisse dicit Paullus. it. de verbis Mosi, quibus timorem, quo erat ad montem Sinai percussus expressisse perhibet Hebr. XII, 21. In his enim licet non indigerent inspiratione, vt ista primum addiscerent, perinde ac quae ex prophetarum oraculis iam perspecta habebant, tamen opus habebant *θεοπνευσία*, vt omnia tempestiue in memoriam redirent hic & nunc producenda, & sub hoc praecise verborum nexu & ordine atque selectu. Ita autem non in percipiendo tantum, sed etiam in reddendo infallibiles fuisse viros *θεοπνευστες*, exigit finis & scopus Scr. sacrae, qui erat erudire homines ad salutem, Ioh. XX. vlt. 2 Tim. III, 15. quo vsu excidisset, nisi amanuenses & in ipsa rerum reuelatarum recensione aequae fuissent illabiles, atque in earum perceptione. Ex Spiritu sancto propterea etiam dicuntur locuti. Act. II, 4. & aliis manifestasse 1 Petr. I, 12. quod ex eodem ipsi acceperant Ephes. III, 5. Quodque apostoli in
scriptu-

scripturis dicunt, id Sp. sanctus, qui per eos locutus est & scripsit, dixisse perhibetur. 1 Tim. IV, 1. conf. Matth. X, 20. Marc. XIII, 11. Luc. XII, 12. Ioh. XIV, 26. Act. XVIII, 28. Apoc. II, 7. 11. cap. III, 6. 13. 22. & Paullum commendat Petrus, 2 ep. III, 15. 16. quod secundum datam ei sapientiam scripserit in omnibus epistolis. Immediata vero illa *θεοσνευστος* non prorsus omne medium simpliciter excludit. Quia enim Deus infinitus est, sine omni medio capi a mente humana non potest. Quapropter etiam in inspirationibus prophetis *λογον* internum aliquem intercessisse credendum est. Dicitur vero immediata, quia fit sine ordinariis mediis, verbo iam antea per prophetas & apostolos reuelato, nunc vero audito aut lecto.

§. XVI.

Quod si de speciali modo originis diuinæ, quam agnoscit scriptura sacra, quærat, fatendum nobis est, illum, utpote liberrimæ voluntatis diuinæ, aliunde nobis intellescere non posse, quam ex ipsa reuelatione diuina supernaturali, qua nobis hanc prodit ipse Deus scripturarum scaturiginem. Qua enim ratione vellet Deus voluntatem suam hominibus notam reddere, quis indagaret, non declarata diuina præuia manifestatione? Interea tamen hoc certum manet ratumque, quod, quicquid a Deo immediato auctore proficiscitur, sit infallibiliter certum, & hinc omni assensu & obsequio dignum. Atqui scripturam etiam N. T. a Deo auctore immediato prouenire, constare nobis potest vel fide diuina, vel humana. Credere enim illud oportet quemque saluandorum, quia alias fidem inde concipere non posset. Sed scire etiam hoc queunt mortales, & probabilem iis fieri oportet eandem originem vere diuinam, ut perducantur ad lectionem scripturarum attentam & sollicitam. Ipsa enim scriptura sacra est lux illa, per quam lucem diuinam cognoscimus. Ps. XXXVI, 10. & spiritus per eam loquens testatur, quod reuera in ea, perque illam ad nos loquatur idem sanctus spiritus. 1 Ioh. V, 6. coll. Ioh. VI, 63.

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

40

Quare non nisi ex ipso verbo nascitur fides vere diuina, & animum intrinsece conuincens, Deum esse verbi huius auctorem. Pater etiam hoc ex exemplis cum in scriptura sacra ipsa obuiis, tum etiam in historia occurrentibus luculentis eorum, qui per ipsum scripturarum auditum aut lectionem, etiam non opinantes, sunt ad fidem christianam perducti, quum antea essent ab ea quam maxime alieni. Nec esse aliter per rerum naturam potest, quam vt effectus non sit nobilior sua causa, nec causa deterior effectui. Fides ergo diuina non potest enasci, nisi ex virtute diuina ipsi verbo indita.

§. XVII.

Exempla huius scripturis etiam N. T. insitæ efficaciam quam plurima nobis exhibent acta apostolica, ex quibus præ aliis illustre est Lydia, purpurarum venditricis in Philippensium vrbe Act. XVI, 4. cui inter audiendum Deus legitur aperuisse cor, vt crederet iis, quæ audiebat. Confirmant idem alia quam plurima, ex quibus nunc tria aut quatuor commemorasse suffecerit. AVGVSTINI videlicet, PAVLLI WEIDNERI, CHRISTIANI GERSONIS, exiudæorum amborum, & FRANCISCI IVNII, theologi inter reformatos eximii, qui etiam non præuiis argumentis aliis, ex solo verbi auditu & lectione nacti sunt fidem, vt cœtui credentium sese iungerent, antea contemptores oraculorum diuinorum. De AVGVSTINO relatum legimus, in ipsius AVGVSTINI *confess.* lib. 5. cap. 13. & lib. 8. cap. 12. quod Manichæismo addictus Mediolanum peruenerit, Rhetoricam alios docturus, audieritue aliquando Ambrosium publice verba facientem, intentione non alia, quam vt cognosceret quantum & quanta sit vii istius eloquentia, aliis tantopere deprecadica, neutiquam vero, vt ad fidem perduceretur ab eo. Inter audiendum vero vna cum verbis in mentem AVGVSTINI penetrare simul cœpit veritas doctrinæ cœlestis, tamque altas fixit radices, vt post superatas varias difficultates, quæ se ipsi obiecerant, audita voce: tolle & lege, arreptaque &

& euoluta scriptura incidens in verba Paulli Rom. XIII, 13. ita persentisceret veritatem diuinam inditam, potentem ad conuertendum Rom. I, 16. vt anno atatis suæ 33. ab Ambrosio baptizatus, atque loco Valerii Hipponensium euaderet episcopus, ipsoque opere verum esse testatum faceret, quod matri Monicae, pro eius conuersione a Manichæismo calidas preces cum lacrymis fundenti, dictum fuerat: impossibile est, vt filius tot lacrymarum pereat.

§. XVIII.

Nec minus notatu dignum est PAVLLI WEIDNERI, philosophiæ & Medicinæ Doctoris, ex Iudaismo ad fidem Christi anno 1558. conuersi exemplum, quod is ipse enarrat in præfat. *locis præcipuis fidei christianæ collectis & explicatis* præmissa p. 1. sq. pluribus; quomodo videlicet citra cuiusquam persuasionem delatus ad N. T. lectionem, ex collatis inter se V. & Noui T. effatis, inter varia impedimenta, ad fidem christianam fuerit perductus. Quod exemplum dignum censuit, quod huc afferret b. noster FRIEDEM. BÉCHMANVS *instit. theologg.* loc. 1. §. 18.

Nec minus illustris est alius Iudæi, CHRISTIANI GERSONIS postea dicti, casus similis, sub initium seculi proxime præterlapsi anno nim. 1600. d. 19. Octobr. baptizati. Recenset is totum conuersionis suæ negotium ipse in præfat. zum *Jüdischen Talmud.* edit. Halberstad. 1613. quam relationem in aliis eiusdem libri edit. omissam esse non sine causa conqueritur THOMAS CRENIVS. Tanti enim eam relationem fecerunt GEORG. CALIXTVS, vt eam latine factam quoque infereret *apparatui suo* p. 36. sq. atque b. IO. MVSAEVS lectori eandem ingereret in *introductione in theologiam* p. 523. sq. Acceperat nempe hic Gerson a paupercula muliere christiana N. T. pro exiguo ære 4. gross. quod impendebat in illud, partim ob lucellum aliquod hinc sperandum, partim vt peruideret hinc erroris illius grauitatem, quo tot fascinati homines christiani perirent æternum. Nihil enim is adhuc dubitabat de fide iudaicæ certitudine. Perlege-

bat

F 3

bat

28

29

30

31

33

34

35

36

37

38

41

bat libellum, vili fati pretio in manus delatum, praesente affine, & diris deuouebat tradita in eo. Quum autem aculeos relinqueret in animo frequens ad V. T. oracula provocatio, in eodem obuia, pungebant isti hominem adeo, vt non posset quiescere prius, quam denuo, & remotis quidem omnibus arbitris, perlegeret, sedulo inter se comparatis veteris nouique testamenti effatis, iis praesertim, ad qua lectorem suum amandabat N. T. Atque hac ratione ita commouebatur animus eius, vt tandem amplexarentur veritatem ibi propositam, nomenque Christo, sibi antea tam exoso, vt sine bile nec audiret, nec recordaretur eius, daret, & in hac fiducia, quod per eum vnice salutem sit obtenturus, obdormiret tandem.

Denique huc etiam non sine causa refero FRANCISCI IVNII, ad Atheismum seducti stupendum prolapsi, nec minus memorabilem reditum ad sacra christianorum, quem ipse memorat tom. 1. opp. in vita fol. 9. 10. 11. Sine lacrymis ac intima animi commotione nunquam lego ista, quibus curam & anxietatem patris, filii seductionem animaduertentis, ideoque ex Parisina schola, ac prauorum sodalium eum reuocantis, describit, & quomodo domum redux inciderit aliquando in initia euangelii Iohannei, mensa sua, nescius a quo, expositi, iisdem perlectis horruisse corpus, stupuisse animum, ait, & totum illum diem sic se affectum, vt quis esset, ipse sibi videretur incertus esse, intra quam de semet sollicitudinem tandem liberatus a vinculis, quibus huc dum constrictus oberrarat, resipuit, euasitque in virum, cuius vigiliis multa debet ecclesia; in quibus certe elucescit veritas verborum Paullinorum Hebr. IV, 12. & Eccles. XII, 11. Resistere enim hi non valuerunt spiritui in istis N. T. libris loquenti.

§. XIX.

Quia vero ordinarie non ita ex improviso homines ad fidem perducuntur, sed requiritur, vt deuote audiant (Rom. X, 14.) & legant (ibid. v. 17.) scripturas, animo discendi hinc, quae sit & sancta & bona Dei voluntas de ipsorum salute

salute promouenda; ideo necessum est, vt, ad remouenda varia, quæ exoriuntur obstacula, ponendasque præiudicatas opiniones, ad contemptum erga hocce verbum exuendum, animis lectorum ingeneretur prius pia de hoc verbo opinio, non prorsus inepta esse illius contenta, sed veritati litasse, qui ea congesserunt, quo nascatur voluntas, quam vocant piæ affectionis, oriaturque in animo sententia, non homines impostores hos composuisse libros, sed cognoscatur certo auctor eorum, quæ tradunt, Deus, fallere fallique nescius. Effici autem omnino hoc potest, si argumenta non diuisim, sed coniunctim sumantur, & sibi inuicem rite subordinentur. Tunc enim non fidem modo humanam generant, ac credibile reddunt hoc verbum a Deo auctore profectum esse, sed plus omnino præstant, & scientiam ac demonstrationem pariunt tantam, cui nemo sanus refragari possit eum ratione. Quod si complexè vna eum insita verbò virtute diuina capiantur, etiam fidem ex illis diuinam pronasci, rectissime docet b. IO. SCHROEDERVS de *principio theologiae*, & post b. IO. MUSEVM, BAIERVS quoque in *compendio theol. posit. prolegg. cap. 2. §. 19. (c) §. 33. (a)* Quatenus nimirum illa virtus sese exerit in animo ipsorum auditorum & lectorum, quos percellit, operatur illa sane fidem diuinam; sed quatenus conspicitur ex actionibus externis & sensibilibus aliorum hominum, aut spectatur præcise quatenus ad stylum & formulas loquendi pertinet, nonnisi probabile reddit, esse, ceteris paribus, omnino hoc Dei verbum, de quo illud tanta cum asseueratione perhibent homines ceteroquin fide digni, integritatæ scelerisque puri. Quum alias etiam Pseudoprophetas & deceptores talia dicta protulisse constet, fueritque ipse Deus aliquando conquestus de illorum fraudibus v. gr. Deut. XIII, 1. sqq. Ierem. XIV, 14. sqq. 1 Reg. XIII, 18.

§. XX.

Quod si cogitemus, noui testamenti scripta in veritate tradenda, diuersis licet in locis, diuersis temporibus,
ab

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

ab hominibus diuerso ingenio præditis, & morum plane diuersorum, exarata, tamen amicissime conspirare, vt nullo in momento ad salutem attinente, sibi inuicem contradicant; si attenderimus sufficientissime in iis exhiberi, quæ ad nûmen iratum nobis conciliandum erant necessaria, & quidem perspicue, adeo vt etiam ratio, quid in eis desideret, non reperiat, nec indagare istiusmodi medium potuerit; si denique obseruauerimus tantum sanctitatis fastigium vrgere etiam noui testamenti volumina, ad quantum assurgere non valet lumen naturale: facile hinc liquet, ea non posse esse a ratione excogitata, quæ ibi occurrunt. Vrget enim scriptura hæc amorem Dei ex toto corde, tota anima omnibusque viribus, amorem item proximi talem, qui sit instar nostrum ipsorummet, & hostium etiam maxime infensorum. Tabet abnegare se ipsum, & sapientiam suam pro stulta reputare 1 Cor. III, 18. 19. Pandit quoque profundam hominis per labem originalem corruptionem, quantam naturæ lumen sibi relictum non assequitur, vt vt aliqualem & confusam istius cognitionem ex ipso naturæ lumine nemo negauerit facile etiam ipsi rationi, quæ cognoscit nos etiam quotidie labi in multis, ac Deum sanctissimum offendere; qui turpes effectus testantur de fonte prauo & causâ fœdissima, intrinsicè in animo hominis latente. Tradit vero hæc talia scriptura N. T. stylo simplici admodum & graui, solo Deo digno, per nudas assertiones, ac sine circuitu longe petitarum probationum, & cuncta sua præscribit hominibus in vniuersum omnibus, nemine prorsus excepto, qualia non competunt in vllum, per vniuersum terrarum orbem, hominem, quisquis etiam is fuerit. Accedunt ad hæc, interna siue insita argumenta, etiam varia externa, vtpote doctrinæ in ea sonantis vetustas, & quod partim cum ipsa mundi origine cœperit, partim mox post eam primis hominibus innotuerit. Quod conditores horum voluminum fuerint homines notis *ἀξιοματίας* insignes, notitia videlicet scriben-

scribendorum sufficiente praditi, vt vt humana opera non edocti, veritatis etiam studio vndiquaque clari, a quo etiam ignominia vitæque periculo non potuerint auocari. Quorum dictis atque scriptis ipse Deus fidem fecerit per miracula varia ab iis edita, quæ soli Deo sint transcribenda per disertam scripturæ litteram Ps. LXXII, 18. 19. Ps. LXXXVI, 10. Ps. CXXXVI, 3. 4. ipsamque miraculorum indolem ac naturam, quæ sunt effectus rari ac insoliti, supra totius naturæ leges positi; adeoque a nemine proficisci aut expectari queunt, quippe qui non in potestate sua habet vniuersam naturam. Quibus factum etiam est, vt felicissime propagaretur contenta in illis doctrina per totum terrarum orbem, subigeretque animos vel maxime reluctantium, vt tandem & mortem dirissimam pro ea subire nulli dubitarent, cuiusuis & sexus & ætatis etiam tenerrimæ, homines. Experti ex aduerso sunt potentissimi etiam eius aduersarii vindictam nemefinque loquentis in eo numinis, exemplo plane stupendo misere pereuntes, dum vel doctrinam in his libris contentam, vel auctores eam disseminantes, vel etiam eum, qui nucleus est totius codicis sacri, Christum, atrociter persequerentur, & tollere niterentur. Cernimus hæc vlticem Dei manum in Herodibus, Magno videlicet Matth. II. qui infantulos Bethlehemiticos iugulauit, Christoque necem intentauit; quam is sustinuerit Dei pœnam. vid. ap. IOSEPHVM *antiqq. iudd.* lib. 17. cap. 8. 9. 10. & *de bello iud.* lib. 1. cap. 21. de Herode Antipa, qui ducta Herodiade Iohannem Baptistam decollauit Matth. XIV, 2-13. Marc. VI, 16-29. Luc. III, 19. 20. & quem a Cæsare in galliam relegatum, atque ibi in summa miseria mortem oppetiisse dicit IOSEPHVS, videatur illius *antiqq. iudd.* lib. 18. cap. 9. de Herode a vermibus corroso, posteaquam necasset Iacobum maiorem, Zebedæi filium, Iohannis fratrem, similique sese crimine alligaturus fuisset circa Petrum, nisi is diuino auxilio fuga esset dilapsus, legimus Act. XII, 23. & apud IOSEPHVM, *antiqq. iudd.* lib. 19. cap. 7. de Iuliano apostata

G videri

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

videri potest EVSEBIVS *hystor. eccles.* lib. 8. cap. 2. & AVGVSTI-
 NVS lib. 2. *in Iulianum*. Similis vindicta diuina oppresit to-
 tam gentem Iudaicam, quæ crudeli rabie fustulit e medio
 Iesum, mala quæque sibimet imprecata, quæ metuebat ini-
 iustus iudex Pontius Pilatus sibi, si infontem perderet. Taceo
 varios hæreticos, indigne scripturam habentes, & irreue-
 renter ad incrustandos errores suos rapientes eam. Quin
 & ipsi gentiles in *oraculis Sibyllinis*, TACITVS itemque SVE-
 TONIVS, & Iudæi, cum in monumentis Talmudicis Iesu &
 Apostolorum eius mentionem iniicientes, tum FLAVIVS
 quoque IOSEPHVS *antiqq. iudd.* lib. 18. cap. 7. de Iohanne Bapti-
 sta, de Iacobo lib. 20. cap. 8. deque Christo ipso *antiqq. iudd.*
 lib. 18. cap. 4. f. 611. edit. Ittig. luculentum maxime testimo-
 nium, interpolatum tamen vt nunc quidem legimus, vti-
 que perhibet, adeoque in N. T. relata non leuiter confirmant.
 Similia de TYRCIS, qui in ipso *Corano* cap. 2. 3. 4. Chri-
 stum Dei prophetam prædicant, quodque Deus ei dederit
 euangelia, & quod, qui se illi non subiiciunt, condemnentur,
 afferri possent. Recensuit ea maximam partem b. MICH.
 WALTHER, pater, *offic. bibl.* §. 1067. sqq. ac nuper cl. TOBIAS
 ECCARDVS, in *non Christianorum de Christo testimoniis*, deque
 Iesu *in Talmude* MEBELVHERERVS. Latius quoque vindicauit
 N. T. auctoritatem a Iudæorum aliorumque diuersorum ob-
 iectionibus b. D. IO. HENR. MAIVS in *examine historia critica N. T.*
 RICH. SIMON. a cap. 20-36. Huc etiam referendus est LARD-
 NERI tr. ex anglic. idiomate proximis nundinis vernalibus
 in latin. translatus, & præfatione cel. IO. CHRISTOPHORI
 WOLFFII ornatus, sub tit. *fides historiae euangelicæ* in iis, quæ
 obiter attinguntur ex profanorum scriptis corroborata, me-
 rereturque addi simile eiusdem auctoris scriptum, quod
 LARDNERVS WOLFFIO loc. cit. molitus dicitur, de iis,
 quæ ex professo traduntur in sacris per profanos confir-
 mandis.

§. XXI.

Si ergo rem ipsam probe distinxerimus a modo, h. e.
 quæstio-

quæstionem, an scriptura N. T. sit a Deo, & qua ratione proueniat ab ipso, an per *θεοπνευσίαν*, aut modo alio; deque illo, an sit a Deo, hic instituatür disceptatio, tum tenendum est: nobis aut rem esse cum atheo, crassiore aut subtiliore, Deum & angelos inficiente, aut agendum esse cum hominibus, qui extra gremium ecclesie degunt, Deum tamen & angelos admittunt. Contra illos indirecte euincimus id, ostendendo prius, scripturam sacram N. T. non esse, nec esse posse ab homine; si sapientissimum etiam aut pietissimum cogites. Quo posito facile consequitur, inferrique potest: scripturam N. T. non habere aliud principium, auctoremue, quam Deum, a quo siue per *θεοπνευσίαν*, siue alia ratione sit producta. Rationem autem contra hoc hominum genus ita subducere licebit: Quæcunque scriptura est & supra hominem & contra hominem, illa non potest esse ab homine. Nam effectus non superat vires suæ causæ, & hac præstantior esse nequit. Atqui scriptura N. T. non secus ac V. T. est & supra hominem, si intellectum eius spectes, & contra hominem, si contempleris voluntatem. Ergo illa perinde ac V. T. nequit esse ab homine. Assurgit supra captum humanum, tradendo tot tantæque mysteria, quanta in orbe citra Dei reuelationem nunquam fuerunt audita. Contra hominem pugnat, quum iubet hominem captiuare rationem suam sub fidei obsequium, se ipsum crucifigere, & occidere membra terrestria. Quod si vero quis, cui probandum est scripturam N. T. a Deo esse, concesserit, dari Deum & angelos, extra ecclesiam tamen constitutus, aduersus eum directe etiam hoc probari poterit, si huncce in modum collegerimus. Siquidem in aprico, ipsoque solis disco positum est, originem suam scripturam sacram debere principio rationali, hoc autem nullum est aliud, quam vel Deus, vel angelus, vel homo. Homo vero & angelus esse nequit, ergo erit Deus. Quod homo & angelus esse nequeat, patet ex miraculosis operibus, quibus inclarue-

28

29

30

31

32

33

34

35

36


37


38


40


runt N. T. scriptores, nulli homini competentibus, & ne angelo quidem. Ex vaticiniis quoque futurorum contingenter talium, quorum certam præscientiam nec angelus habet, nec homo, sed solus Deus. Ies. XLI, 22. 23. cap. XLVI, 9. 10. Ier. XXVIII, 9. idem constat. Occurrunt vero istiusmodi vaticinia multa exacte iam completa, de passione, morte & resurrectione Christi, de illius ex terris abitu ad patrem, de urbis Hierosolymæ gentisque iudaicæ ruina, & quæ sunt alia. Vnde nullum est dubium, quin & reliqua sint suo tempore complementum suum habitura. Angelum malum tanto minus quis ingeret, quum malis angelis vniuersum aduersetur N. T. Et hanc argumentationem plus gignere quam fidem humanam statuimus. Fidem tamen diuinam ex ea oriri non asserimus. Hæc enim ex sola spiritus sancti interna conuictione oritur, per ipsum scripturæ auditum, lectionem ac meditationem piam. Quemadmodum solem non videmus sine sole, sed per ipsum solem.













noxios producant effectus, a nobis nunc expenden-
hic quotidiana deprehendimus obseruatione, quod,
tenerorum delicatolorumque hominum molles ma-
corporis duri contrectatione aut tritu atteruntur,
tenera atque mollissima cum nerueis cutis papillis
r, immo nonnunquam destruantur dissoluanturque.
untur inflammatio, erosio cuticulae, hydatides, quid?
protrahatur talis inconsuetus labor, vesiculae gan-
Quod si porro saepius frequentiusque repetatur talis
dum nimis comprimit exprimitque liquida ex vasis
1 palmae et plantae manuum pedumque: efficit
illorum vasculorum, *binc tegumenta illarum par-*
reddit. Subinde quoque ex inflammatione cutis,
nominauimus loco, nascuntur dein, postquam par-
ae iterum consolidatae sunt, clauis in digitis pedum,
pro ganglia et ossa sesamoidea. *Ex his itaque pa-*
oribus, loco motionis adhibitis, manus et pedes mi-
vinc ad multas actiones, quibus destinantur, minus ido-
r genus in autem excrescentiarum praeternaturalium
vicinas partes neruosas, et dolores inflammationes-

bus itaque, femellisque teneris nunquam conueniunt labores
inconsueti, motionis loco instituendi. Namque si vel
attendamus ad noxios effectus hic adductos: illis tamen,
eiusmodi labores nullum adferant delectamentum, nec
edio peragantur, neutiquam conducent: vt superiori iam
tum dedimus commentatione (§. XXVI).

§. XXX.

ali porro hominum determinatione quaedam mo-
noxiae euadere possunt, si promiscue adhibeantur.
m illarum partes quasdam corporis singulariter ad-
fit, vt, si in hominibus, qui singulari partis cu-
iusdam

